DE ECCLESIA SEPTEMPEDANA

LIBRI III.

AUCTORE

JOANNE CAROLO CAN. GENTILIO
E SANCTOSEVERINO

Pars Tertia

ACCEDUNT EJUSDEM AUCTORIS
ELOGIA VIRORUM ILLUSTRIUM.



MACERATÆ 1838.
EX OFFICINA ALEXANDRI MANCINI
Superiorum Permissu

Clarorum virorum facta posteris tradere antiquitus usitatum.
(*Tacitus in Agricola*)

DE ÈCCLESIA
SEPTEMPEDANA

Liber Tertius

Mirum sane videbitur, nunc post saecula rursus quaerendum, cur ea quasi minus videant homines, quae propius ipsos attingunt, aut, quae vident, demonstrando obscurent, agitandoque permisceant. Illud quidem in multis accidit, ut, postquam a majoribus diutissime disputatum est, nihilo minus copiosa disceptandi materia nobis relicta sit, et posteris reservata. Ex quo tamen illud redundat commodi, ut antiquitatis, dum excutitur, refricetur memoria, et, si quid olim fuerit expensum negligentius, accuratiore dein trutina pensitetur, fiatque tandem falsi verique liquida et definita secretio. O pulchra veritas! at quanto artis studio conquirenda tertio hoc in

libro, quem de Episcopis, de Equitibus, et de Viris, aut literis, aut toga, aut armis illustrioribus aggredior! Felices labores hosce nostros putabo, si cives veritatis inquirendae studio inflammaverint, et melius sentiendi occasionem eisdem praebuerint.

I.

De Episcopis Septempedanis.

Septempedanis eadem in principio, quae caeteros Piceni populos illustravit, christiana lux affulsit; Jesuque Nazareni doctrina primaevis ipsis Ecclesiae saeculis altas validasque radices in eorum animis egit. Postquam enim barbaricis nationibus datum fuit pedem in Italia figere, eam cives nostri solertes, vigilantissimi propugnarunt. Ita saeculo VI. ineunte, S. Severinus Episcopus, quem nos tutelarem, et patronum urbis praesentissimum veneramur, Septempedanae Ecclesiae censum ampliavit, citra spem et metum quaeque perpessus, Gothis hostibus ingruentibus. Sed brevi romano imperio labente atque inclinato, eadem plane fortuna, quae plerasque Piceni ecclesias, Septempedanam quoque miserrime afflixit; et longam malorum seriem contexerem, si ea rursus in medium proferrem. Sat igitur de Episcopis verba facere, qui ante et post cathedrae instaurationem magnis muneribus integre functi apud omnes auctoritate et gratia plurimum valuere.

§. I.

De Ss. Severino Episcopo, et Victorino Eremita fratribus Septempedanis.

Neminem adeo vecordem puto, et antiquitati infensum, ut primaeva Ss. Severini, et Victorini Fratrum acta a Bollandianis, et a Colucio edita cavillari queat: cum ea ipsa, quae describuntur, aperte testentur, esse prorsus antiqua, et usque ab antiquissimis temporibus usurpata. Sane rerum, quae in eis enarrantur, verba, phrasis, stylus tempus longe antiquius evidentissime demonstrant, nec sunt sequioribus saeculis posteriora, sed sapiunt omnino tempora, quae VIII. saeculum praecesserunt. Nec pauca in eis apposita, nec varietates in secundis actis, a Bollando et Colucio pariter evulgatis, inductae primaevi codicis auctoritatem laedunt, nec ejus obsunt fidei: nam haec sumpserunt augumentum ex libertate, quam sibi temere post annum millesimum scioli quidam arrogarunt. Nullum enim saeculum, nullum regnum literis utens olim in Europa ex-

titit, quod immune se ab hujusmodi ausu jactare potuerit. Plurima et ego italicarum urbium tabularia ingressus, innumeras quidem chartas reperi et evolvi germanam originem procul dubio praeseferentes; at simul furfuris aliquid multis in locis commixtum animadverti. Dum igitur tam primaeva, quam recentiora Ss. Severini, et Victorini acta hic recudo, et ea, quae non recte constituta erant, diruenda, praetermissa inaedificanda, nimis exiliter constructa ornanda et amplificanda suscipio; spero, homines eruditos mihi pro eorum benignitate condonaturos ea, quae mihi excident disserenti de re prorsus salebrosa. Illud tamen quemque breviter admonendum puto, traditiones ecclesiasticas ita esse observandas, uti a majoribus traditae sunt, dummodo historicae veritati, et ecclesiasticae temporum disciplinae non officiant.

Romanorum res, ob barbaricas copias ex Oriente in Occidentem conversas, in situ et squalore jacebant. Humanitas fere ipsa in desuetudinem venerat, et veteris integritatis splendorem vix dum conservabat Italia. Plurimum Arianarum sordium ipsa contraxerat: imo arx jam facta erat ac propugnaculum bar-

bariei, latinaeque ipsae literae exules atque extorres e patrio solo profugerant. Hic status erat, haec facies miseranda Italiae, cum natus est Severinus. Neminem vero futurum esse arbitror, qui ejus ortum ad statutum annum cum Cancellotto aut cum Gentilio amandare pro certo audeat: cum acta sileant, neque iidem scriptores ullam sibi curam suscepisse videantur, ut indubia hac de re posteritati monumenta traderentur.

Minime opus est acta ad severiores criticae leges exigere, quum in eis sincera argumenta in promptu sint, Severinum et Victorinum domo Septempeda fuisse. Inter nos fortunae bona eorum parentes habuisse, hos nostris in sedibus naturae fato concessisse, acta aperte testantur. Post utriusque parentis obitum, distractis facultatibus, pauperibusque divisis, haud longe a Septempeda eremiticam vitam Severinum, et Victorinum duxisse, ex eisdem actis eruitur. Ipsi in codice nostro laudantur *Picentinae accolae provinciae, qua vadosus Flussor praeterfluit Septempedam.* Hinc factum est satis argumento, cui fidem minime resignant Henschemius, Bollandus, Baronius, Allestemius, et Sollerius. In hoc, tanquam in

re explorata, Jacobillus, Cancellottus, Marangonius, Turchius, aliique sexcenti consentiunt: et frustra tu Severini ortum requireres apud Scriptores, qui aut sacras Pannoniae res attigere, aut qui Unnorum viros sanctitate illustres recensuerunt. Quare nulla fides Franchio et Pamphilo est habenda, qui Severinum alio natum esse autumarunt; eoque minus audiendus est Lilius, qui Severinum Camertem dixit. Id merum commentum fuisse, jamdiu scriptum est a multis.

Ut caetera praeteream veritati consona, quae in actis continentur, quaeque magnam redolent antiquitatem, certi ex eisdem reddimur, Severini et Victorini parentes opibus abundasse. Et quia nequaquam difficile foret doctissimorum hominum judicio atque consensu illud ostendere, generis nobilitatem longe ante annum millesimum commentitiis argumentis fulciri; jure mihi adfirmare posse videor, suppositititium aliquod contineri in verbis, *magna ortos fuisse prosapia*, quae in posterioribus actis habemus. Nec mirum: homines enim plerique bona tum fide agebant, et, nihil falsi suspicantes, facile sibi patiebantur in chartis illustriores obtrudi res. Hoc vero potissimum

in usum post saeculum XII. venisse legimus, quoties, irruentibus in Italiam exteris nationibus, aut intestinis bellis inter Italiae dynastas flagrantibus, deperditis papyris, aut alio asportatis, breviorem ad eas resarciendas viam majores nostri censuere, nova alia tanquam vera, ut ut exagerata, supponere. Celebre est illud Mabillonii effatum, cui consonat Muratorius, collegia prope nulla, paucissimas ecclesias aut familias immunes ab hac labe fuisse. Dum ita chartae fabricabantur, nihil, in Sanctis praesertim, usitatius, quam quod, sive unum in duos dispesci contigerit, sive duos in unum commisceri. Id etiam Severino et Victorino accidisse, ea, quae erimus dicturi, quodammodo praedicare videntur.

Diversimode diversis in auctoribus Severini, et Victorini dignitatem perscriptam esse legimus. In longo et inamoeno labore nos pedem figeremus, nisi nobis praesto esset vir omnigenae eruditionis laude praestantissimus Canonicus Mazzochius, qui in notis ad Martyrologium Neapolitanum eas rationes in medium attulit, ut nemo prudens in contrariam sententiam posset abire. Docet is, unum et alterum, tertium quoque Severinum sequiori aevo

fuisse procusum. Neque ei arridet Martyrologii Rosweidani opinio, quod multa comminiscitur, ut Severinum Neapolitanum tantum, et Confessorem reponeret. *Neapoli S. Severini Confessoris S. Victorini Fratris.* Et revera: diligentissime Mazzochio monumenta perscrutanti, ut aliquo idoneo teste Severinum nostrum fuisse Neapolitanum adfirmaret, illud contra votum evenit, ut sexcenta ipse nancisceretur, quae, id purum esse commentum a Floro, Adone, ac Usuardo receptum, luce clarius ostenderent. Immo exhibet, quid causae dein esse potuit, quamobrem auctores relati, in variarum opinionum conflictu, ex duobus Severinis, Confessore uno, Episcopo altero, unum solummodo effingerent, eumque inter Antistites adnumerarent. Baronius eam in sententiam descendit, ut duos Severinos, Confessorem primum, Episcopum secundum, alios a Severino Pontifice Septempedano esse putaret, cujus festum rejectum ab eo fuit ad diem VIII. junii. Sive ex errore, sive etiam, ut opinor, ex eo quod olim ecclesiae quadam sacrorum societate inter se tenebantur, et Sanctorum, praesertim si Episcopi fuissent, festa sibi invicem communicabant, tres Severinos Baronius memo-

ravit, Episcopum Neapolitanum unum, Abbatem Noricanum alterum, Antistitem Septempedanum tertium. Sed Mazzochius hic infirmans rationes, quas laudavit Baronius, illud obiter animadvertit, unum Severinum fore detrudendum, nec cuique novum licere Episcopum adstruere. Quare hujus nominis Neapolitanum is omnino expunxit, cui adstipulatus jam fuerat Ferrarius: et hac in salebrosa disceptatione Abbas Noricanus, et Episcopus Septempedanus sibi locum dari postulant cum Mazzochio. Ita acta Severini nostri asseruit praeclarissimus vir: ita difficultates circa plures Severinos enodavit. Nobis vero ne in Antistitis nostri monumentis illustrandis saepius de via in diverticulum recedendum sit, operae pretium facturus visus sum mihi, si, quae in Severini fastos cum iis Victorini conjunctos aliquis auctor intrusit, eosque confudit, singula in antecessum validis rationibus exploderentur.

Quam magnis poenitentiae operibus primis aerae christianae saeculis cum anachoretae sive eremitae, tum monachi in oriente sese exercuerint, cuique vel leviter ecclesiastica monumenta lustranti apprime innotescit. Hunc morem postea non solum monachi occidentis, verum etiam

eremitae secuti, insignem de se ipsi famam posteris reliquere. Hos inter postremos praecipuum obtinuisse locum videtur S. Victorinus, cujus commemoratio in Romano Martyrologio diei VIII. junii affigitur. *Camerini S. Victorini Confessoris.* Caelestis hic heros aeque ac Severinus, postea Septempedanorum Episcopus, ut Deo liberius famularentur, divitiis, quibus uterque abundabat, in pauperes distributis, adolescentiae flore solitariam apud Septempedam vitam duxere. Dein in eremum secedentes aliquandiu ibi manserunt, donec sublimioris perfectionis desiderio Victorinus excitatus in cryptam penes Prolaqueum solus se contulit. Hoc in loco, Deo permittente, generis humani hoste sub mulieris specie tentante, turpi cogitationi, operique jam jam patrando consensum praestitit. Sed durissimam hanc sibi poenam imposuit, ut arboris ramum duas in partes dividens utramque manum inter eas immiserit. Sic, triennii spatio, speciali divini Numinis ope e ramo pendens stetit, modica panis et aquae refectione contentus a Severino singulis Dominicis diebus praestari solita. Quo tempore effluxo, adveniens Episcopus Clero et populo sociatus poenae terminum absolutum

dixit: et sic, arboris ramo confestim laxiori facto, inde liber et illaesus descendit. Hinc virtutibus clarus cum aliquandiu superstes fuisset, saeculo VI. obdormivit in Domino. Haec omnia latiori stylo habentur in germanis Ss. Victorini et Severini actis, quae nihil sane exhibent, quod falsitatis, aut suppositionis vel minimam suspicionem possit afferre.

Certum nempe est, quod Monasticum vivendi genus nonnisi saeculo IV. in Italiam, opere S. Athanasii Alexandrini, Romam deferentis vitam divi Antonii Abbatis, penetraverit, uti docet Baronius, quem sequuntur Mabillonius, Thomasinius, atque Alteserra. Exploratum pariter est, S. Benedictum societatem suam, quam Victorinum et Severinum arripuisse acta posteriora testantur, saeculo VI. in Italia evulgasse, sicut diserte idem Mabillonius ostendit: sed nos historiarum, et temporis monumentis nixi Ss. fratrum monachatum fidentissime deturbandum pronunciamus. Non me latet, Franchium, Jacobillium, Lilium, Cancellottum, et Gentilium, modo in Basilianorum, modo in Benedictinorum gente geminos fratres reposuisse: sed, si me audis, perperam omnino: in monastica enim historia nulla

prorsus de iis mentio suppetit, nec quisquam idoneus esse potest tam remoti temporis testis, dum silent omnes melioris notae scriptores, qui vel Basilianorum fastos, vel Benedictinorum acta illustrarunt. Studiosissime et ego perquisivi, num aliqua forent, quae inter nos Basilianos floruisse testarentur; nullumque de iis vel levissimum vestigium inveni. Nec Benedictini locum sibi dari postulant in Septempedanorum agro ante Severini et Victorini obitum: nam abunde probat Gallonius, Sanctum Benedictum, cujus mortem anno 543. evenisse legimus, duodecim (1) tan-

(1) I. Coenobium *SS. Cosmae et Damiani* situm in loco cognomento *Puteja.* II. *S. Michaelis Archangeli*, sive *S. Angeli* in *rupe.* III. *S. Donati* supra montes romanos: sic Abbatiae Sublacensis montes appellantur. IV. *S. Mariae*, sive *S. Laurentii*, quod a Sublacensi mille ac quingentos prope passus distat. V. *S. Joannis Baptistae* cognomento *ad arcus.* VI. *S. Hieronymi*, quod a magno monasterio Sublacensi distat mille et quingentorum passuum intervallo. VII. Monasterium *Vitae aeternae.* VIII. Monasterium *S. Victorini*, qui Amiterni fuit episcopus in provincia Valeria, et sub Nerva Trajano martyrii corona decoratus est. IX. Monasterium *S. Angeli de Ursano.* X. *S. Angeli.* XI. *S. Mariae Magdalenae.* XII. *S. Blasii* olim, hodie *S. Romani.* Confer Mabillonium *Ann. Benedict. tom. I. pag.* 37., *et Feam consid. istor.*

tum monasteria post se apud Italos reliquisse, inter quae Septempedanum minime nactus sum. Hinc dicendum, eam monachatus enunciationem in posterioribus actis ex facto exscriptorum insubsistenter profluxisse. Nec mirum: in tanto enim saeculorum decursu facile irrepere potuerunt ejusmodi naevi ob imperitiam et negligentiam exscriptorum, aut propter audaciam temeritatemque alicujus indocti. Et sane fieri potuit, quod maxime observari velim, ut aliquis olim authenticis exemplaribus in usum privatum adderet, vel in margine, vel inter lineas, nonnulla quaedam ex chartis quomodocumque delibata, et postea ea omnia ab aliis conjungerentur, veluti continuato filo ejusdem narrationis, et tandem in plurima exemplaria nova irreperent. Quod naevi ejusmodi in posterioribus actis deprehendantur, patet ex ipsa monumentorum disquisitione accurata; unde merito erit concludendum, in primaevis codicibus de Severini et Victorini eremitica tantum vita sermonem fuisse institutum.

Severinum et Victorinum monasterio nomen dedisse, pronum est ex actis secundis, quae habentur in addendis ad Tomum I. apud Bollandum, quem subsequuntur Baronius in

adnotationibus ad Martyrologium Romanum, et Philippus Ferrarius in Cathalogo Sanctorum Italiae. *Postquam omnibus se*, Victorinus et Severinus, *abdicarunt, vitam religiosam eligentes, monasterio se contulerunt, et nihil propriae voluntati reservantes, loci Provisori, et Fratribus se devotos et obedientes per omnia substituerunt.* Dein invidia fuse quidem narratur inter monachos ob Severini et Victorini miracula exorta: nec memoria desideratur, quomodo Severinus ad hasce difficultates diluendas una cum Fratre in loca solitaria confugeret. At nihil hujusmodi exaratum legimus in actis antiquiorem originem praeseferentibus, quae integre affert Bollandus, quaeque ex probatis codicibus affirmat hasuisse. Imo nihil reperitur in eis de mora a monachis, et quidem Benedictinis, interjecta, ne ipsi fratres abirent. Haud injuria igitur censeri potest, tum primum Severino et Victorino monachatum affixum fuisse, quum saeculis posterioribus de Benedictinorum familia apud nos in sacra Laurentiana aede constituenda agi coeptum est.

Acta antiquiora, quorum hoc in negotio quanta sit auctoritas nemo nescit, satis con-

firmant, primis ecclesiae saeculis passim in Italia viros affluxisse anachorethicae vitae mancipatos, et sanctitate morum percelebres, qui *furva tunica pullati* nulli coenobio, nullique Abbati obstringebantur. Hos legimus S. Hieronymum non semel nominasse, et eorum examina paulatim evanuisse scimus, ubi Benedictinorum disciplina invaluit. Ex eisdem actis scatet insuper, inclusorum etiam austeram vivendi rationem in Ecclesia inolevisse. Esse enim coeperunt post tertium a Christo nato saeculum pii viri, qui non solum eremiticae vitae in solitudine se tradiderunt, sed etiam inter angustias unius cellae quasi conclusi ibi reliquum dierum, vix unquam inde exeuntes, agebant. Genus hoc ascetarum per plurima saecula perdurasse reperimus; et quamquam a Cassiano, et Isidoro minime probetur, multum tamen venerationis a populo impetrabat. Quod ejusmodi vivendi genus, austeritatem et saeculi contemptum undique spirans, virtutibus addictum multis, et solitudini, veluti tutissimo portui, inhaerens, Severinus, et Victorinus essent amplexi, ex actis pervetustis eruitur, quae sic habent. *Victorinus spirans altius ...... sic germanum allocutus est .... mi frater ....*

si ideo vendidimus omnia, ut expediti sequamur Dominum; cur mutua charitate separamur a Deo? Nam cum mihi in te idem, quod tibi in me, juris sit, nec mihi deest servitium, nec tibi. Paret alter alteri, dum facio quod jubes, quod jubeo facis: non facimus, quod jussit Deus. Sumo indumentum tuum, tu meum: sic geminae sunt singulae vestes, cum utrisque suae communes sint. Eremum peto, quae perfectos habet. Cumque dictis faciens vale, se de tugurio eliminat, sylvas petit vicini montis, quem dicunt Prolacem. Iis in verbis non video, quomodo de monachatu suspicio saltem aliqua possit exoriri: imo argumenta mihi suppetunt, ut Victorinum et Severinum simplices eremitas, aut reclusos fuisse statuam. De *tugurio* Victorinum discessisse lego. Unius fratris mutuus amor ei pergravis ad Christianam beatitatem assequendam videbatur: *mutua charitate separamur a Deo.* Nemini in *tugurio* gemini fratres obtemperabant: *paret alter alteri; dum facio quod jubes*, et *quod jubeo facis.* A Severino veniam ipse habuit *tugurium* deserendi: *cumque dictis faciens vale se de tugurio eliminat.* Nunc, quo pacto monachatus colligi possit, non video; video potius, quot sit diffi-

cultatibus obnoxius, quotque erroribus scateat: qui quidem errores silentio minime sunt praetereundi, quum propius rem nostram attingere videantur. Si acta monachatum admitterent, ea Victorini amorem, non in Severinum tantum, sed in monachos omnes extenderent; communis vitae praecepta non in geminos ascetas ipsa concluderent, sed in singulos monachos in eo coactos monasterio proferrent: Victorinus non a Severino, uti fratre, sed a monasterii Abbate, uti loci moderatore, abeundi veniam impetrasset. Nequaquam igitur, ut arbitror, prudentium virorum reprehensionem incurram, si Victorini et Severini monachatum rejiciendum puto.

Nec juvat, priscis in actis *monasterium* vocitatum fuisse locum, in quo Severinus tantisper moram duxit, postquam Victorinus ad arctiorem vitam adspirans in angustissimam montis specum apud Prolacem secessit. Porro ex iis, quae per geminos fratres gesta esse narrantur, illud facile assequimur, monasterii vocem in casu nostro pro tugurio, quasi aede monastica, fuisse usurpatam. Ubi Victorinus turpem lapsum deflevit amare; ad Severinum, non ad Monachos ipse reptavit, veniamque a Deo per fratrem, non per Monachos

fuit deprecatus. Gravissima ad erratum luendum poena sibi indicta, arboris ramum Victorinus diffindens, manus in apertam rimam complicatas inseruit, unde, partibus inter se cohaerentibus, substitit pendens, quin monachorum debita commiseratio innotescat. Quo in supplicio triennium ipse duxit, Dominicis, ut desuper innuimus, dicbus modico pane et aqua per Severinum, minime per monachos refici consuetus. Tandem Episcopus, non Abbas, accersitus, qui Clero, et populo sociatus Victorinum convenit, tempus propitiationis adesse monuit, nulla monachorum mentione interjecta. Quare, cum reatum publice Deo et Episcopo, non Abbati et monachis Victorinus fateretur, veniamque humiliter postularet, confestim rami laxata compage, liberum, et membris illaesum Dominus eum restituit Severino, non monachis. Sed quid haec persequor, quum satis ipsi ostenderint Bollandiani, Severini et Victorini monachatum commentitium omnino esse quibusdam in animadversionibus contra Leonardum Franchium, qui peculiari sua diatribe fratrum monachatui inter Benedictinos adstruere conatus fuerat? Ex hac Franchii opinione, Bollandiani concludunt, sequere-

tur, Severinum *religiosam vitam fuisse complexum*, *quando ipse nedum natus erat Benedictus*. Neque Ado minori libertate se gessit, dum ea commemorans verba ex antiquioribus actis desumpta — *Severinus in eodem sepultus est loco*, *in quo habuerat monasterium* — fidenti calamo vertit: in quo *abstinentissimus* vixerat. Ne quis vero in vetustis Victorini, et Severini actis scrupulus haereat, quod in eorum calce paucis verbis enuntietur Victorini assumptio ad Episcopatum Amiterni — *deductus est ad Ecclesiam*, *in qua degens sine crimine*, *raptus brevi ad urbis Amiternae Sacerdotium* —; unde idem habendus sit cum Victorino Episcopo et Martyre, cujus festum in Martyrologio Romano diei V. Septembris consignatur: operae pretium nunc erit a Victorino Episcopo Amiterni distinguere Victorinum Confessorem, cujus lypsana Camerini coluntur.

Extra dubitationis aleam versatur, Victorinum Episcopum Amiterni martyrii palma ornatum refulsisse, ejusque festum in Martyrologio Romano esse relatum ad diem V. Septembris hoc elogio. *Romae in suburbano B. Victorini Episcopi et Martyris*, *qui sanctitate et*

miraculis clarus sacerdotium Amiterninae urbis totius populi electione adeptus est: postmodum sub Nerva Trajano apud Cutilias, ubi putentes et sulphureae emanant aquae, cum aliis Dei servis relegatus, ab Aureliano judice jussus est suspendi capite deorsum: quod cum per triduum pro nomine Christi passus fuisset, gloriose coronatus victor migravit ad Dominum: cujus corpus Christiani rapientes honorifica sepultura Amiterni condiderunt. Nemo in eam concedet sententiam, ut putet, unum et eumdem esse Victorinum, cum possit fieri, alium adfuisse. Nam, si Victorinus Amiterni Antistes martyrio vitam consumavit, e converso Victorinus noster in Confessorum albo locatur, dum in eadem vita apud Bollandum, in quam Episcopatus enunciativa irrepsit ad diem VIII. Januarii, concluditur — *Cumque esset omnibus virtutibus pollens, ut angelicus haberetur, choros meruit introire sanctorum* —: et nihilominus, si martyr fuisset, eisdem in actis factum hoc notae singularis adnotatum legeretur: cum verosimile non sit, casu, vel incuria praetermissam fuisse nobiliorem actoris dignitatem, quae caeteroquin majorem historiae fidem exhibebat. Quod vel mirifice comproba-

tur ex temporis circumstantia ab ipso martyrio inseparabili. Hoc enim in Trajani imperio contigisse affirmatur, quem ex historia compertum est anno 117. desiisse. At nedum idem Princeps diu ante defunctus, verum et persecutionis procella in Christianos omnino erat sedata, cum Victorinus Confessor degit in humanis: nam ejus obitus per scriptores saeculo VI. affigitur. Hinc patet, duos fuisse Victorinos, unum Episcopum et Martyrem, alterum eremitam et Confessorem. Ita, verba illa in actis hujus postremi apposita, merito concludendum est, inconsulto per aliquem sciolum fuisse inserta.

Ex facto Adonis in proprio Martyrologio, erroneam illam enunciationem profluxisse Victorino eremitae Amiterni Episcopatum et martyrium tribuentem, uberrime quidem explicavit Baronius. In notis ad Martyrologium Romanum sub die V. Septembris ipse ait. *Cum superius egimus de Victorino germano S. Severini Septempedani, satis ostendimus, errare eos, qui duos hos Victorinos in unum confundunt, et huic martyri illa tribuunt, quae alterius esse noscuntur, nimirum lapsum illum miserandum, quem describit hic Ado, qui*

caeteris errandi tribuit occasionem: nam et id ad Bedae martyrologium additum reperitur: cum in veteri m-s. ejus martyrologio nihil hujusmodi legatur, sicut nec in antiquo Romano, vel in Usuardo. Cum hac sententia convenit Philippus Ferrarius in cathalogo sanctorum Italiae ad diem VIII. Junii, ubi mentionem facit de *S. Victorino Eremita et Confessore apud Camerinum.* In adnotatione ipse inquit. *Hic Ado caute legendus, qui acta Victorini confessoris cum actis Victorini martyris confundens, aliumque Severinum Episcopum Neapolitanum Victorini martyris fratrem referens aliis errandi ansam praebuit.* Idem sensit Benedictus Gononus in notis ad vitam Victorini Episcopi et martyris ex Martyrologio Adonis desumptam. Hactenus deducta ostendunt, Victorinum nostrum minime esse confundendum cum Victorino Episcopo Amiterni, et proinde locus esse videtur expungendis verbis exscriptorum vitio in actis intrusis.

Idipsum probatur ex cultu, quo S. Victorini eremitae et Confessoris memoriam Picentes sunt prosecuti. Corpus, ut desuper diximus, Camerini religiosissime asservatur. Festum quotannis ad diem VIII. Junii tam Ca-

merini, quam inter nos celebratur. Nec disparis ponderis censendae sunt imagines ab antiquissimis temporibus Victorinum exhibentes in actu saepe dictae poenitentiae. In suggestu ecclesiae principis Camerinensis cernebatur ejusmodi imago antiquissima, opere anaglypho elaborata. Sic in pervetusta cruce, quam Lilius refert pertinuisse ad canonicorum collegium S. Venantii, quamque putat saeculo XIII. fuisse elaboratam. Victorini imaginem cum sanctitatis, et poenitentiae signis in pontificali templo Maceratensi, ac Septempedano prostitisse, publica monumenta testantur. Penes Anastasium Tacchium Canonicum Victorini effigies ita expressa reperitur, auctore Nicolao a Fulgineo. Quo vero ad castrum Prolaquei, singulares species cultus ibi suppetunt. Adhuc ipsa servatur crypta, ubi S. Eremita a Severino fratre sejunctus aliquandiu mansit: festum ibidem splendidissimum celebratur: erecta manet in loco, ubi Victorinus poenitentiam subiit, Ecclesia eidem dicata, quae insignis est plebania. Ex diplomate, quod dedimus in chronotaxi Laurentiana, nosse quidem datum fuit, vel ante annum 1119, hanc fuisse nuncupatam S. Victorino plebaniam. Et quia ex eodem documento accepimus, eam

una cum oppido nostro, aliisque latifundiis perantiquae dioeceseos Septempedanae, sub ipsamet temporis nota, jure emphyteutico Warnerio Marchioni, et Altrudae Comitissae, ac Warnerio filio *ad tertiam generationem* Laurentium Episcopum Camerinensem adtribuisse: eruditorum hominum erit statuere, utrum probabilis eorum opinio censeri possit, qui Episcopum Septempedanum ad locum, ubi poenam gravissimam subibat Victorinus, soluturum ex jure accessisse opinarunt. Quae mea sit mens hac in re, jam aperui: quare hic tantum innuo, eadem Prolaquensis plebaniae indicia non obscura Turchium ipsum aliis in monumentis fuisse nactum. Imo, quod est peculiari nota dignum, tantum abest, ut fuerit is propensior ad inserendum in Camertum Episcoporum album Victorini nomen, ut potius in oppositam sententiam fidentissime descendere duxerit. Is gravissima emendatione indigere probavit Jacobillium, et Lilium, qui Camertis Episcopi titulo Victorinum donarunt duobus Guillelmi, et Vidonis saeculi XIII. Episcoporum monumentis innixi, quae anno 1510. in tabulario nostro *Joannes Corradi notarius Camerinensis* exemplavit, quaeque cum autographis minime convenire idem Turchius comprehendit.

Ado ipse Viennensis si acta Victorini Septempedani accurate lustrasset, nequaquam futurum fuisse arbitror, ut illum inter martyres adnumeraret, duosque in unum conflaret, uti desuper innuimus. Duplicem errorem is admisit: alterum, quod nomen Victorini Eremitae indiderit martyri illi, quem refert Martyrologium Romanum; alterum vero, quod affinxerit illi aeram longe quidem antiquiorem; dum aetatis VII. saeculo inferioris manifesta indicia Victorini nostri acta praeseferunt. Hinc annorum decursu unus, et alter Victorinus, tertius quoque fuit procusus, uti Severino evenisse Mazzocchius abunde probavit. Diu multumque perscrutati sunt Georgius in notis ad Adonis Martyrologium, et Marangonius in actis Sancti Victorini Amiterni, quaenam rationes tantam Adoni primum, mox Jacobillio, et Lilio fallendi occasionem praebuissent; ac tandem se invenisse laetati sunt apud Baronium. Hinc Victorinos non tres fuisse, sed unum, et alterum omnino diversos, et a Camertum Episcopatu, in quem injuria irrepserunt, deturbandos esse pronuntiarunt. *Alter*, ait Marangonius, *Romae in suburbano*, *alter Ploraci*, *alter Episcopus Amiterninus*, *alter*

solitarius et poenitens: alter martyr, alter Confessor.... Id non solum Baronius adnotavit, sed et Cancellottus in vita S. Severini Episcopi Septempedani, Bollandus in prolegomenis ad S. Severini acta, et ad illa SS. Nerei, et Achillei die 12. maii Papebrochius... Mirandum sane...., ipse concludit, *quod Lilius in historia sua Camerinensi scribere non erubuerit, S. Victorinum ipsum eremitam fratrem S. Severini creatum fuisse Episcopum Camertem.*

In nostratium historia non sum plane hospes ac rudis; et in Camertum Episcoporum serie haud ignoro, ab anno 504. ad annum 649. *vastum hiatum patere.* Et nihil sane unquam inveni, ex quo de Athalarici Regis ad Victorinum Episcopum epistola, quam profert Lilius ad eum missam, suspicio saltem aliqua possit exoriri. Non pervetus, sed recentissima videtur haec Lilii traditio. Nullo unquam tempore Ferrarius eum inter Antistites connumeravit, sed tantum in Eremitarum album rejecit. Petrus Opmeerus in cronographia, scriptor vel longe accuratissimus, inter episcopos nequaquam Victorino locum dedit. *Ejus aetate*, Justiniani Imperatoris, *vixit Severinus quo-*

que Episcopus Septempedae in Piceno, ejusque frater Victorinus Anachoreta. Apud Petrum Lambecium in commentariis ad bibliothecam Caesaream Victorini memoria assurgit. *Alter autem Victorinus, S. Severini Episcopi Septempedani frater et Confessor, temporibus Imperatoris Justiniani I. sive magni, perduram in eremo duxit vitam.* Nullis non modo argumentis, sed ne ad speciem quidem probabilibus conjecturis tueri potest Victorini incolatus apud Camertes post poenitentiam peractam. Nulla etiam acta, ut ut fabulosa, circumferuntur, quae Victorinum ab humanis inter nos desiisse cum Lilio testentur, postquam supposititiam Camertum infulam ipse abdicavit. Eum vero Prolacei ad superos evolasse, est constans hominum opinio, ac summa consensio. Quomodo autem ejus lypsana Camertes in urbem afferenda curaverint, patet, ni fallor, ex more in Italia per quasdam aetates recepto.

A veritate etiam ea penitus abhorrent, quae Jacobillius de Victorino Episcopo Camerinensi vel longe fabulose congessit. Nullum Victorinum, Symmaco Papa sedente, Camertum Antistitem sub anno 510. novimus. In synodo, quam Pontifex ipse, ut plenam tumul-

tibus Romam tranquillaret, coegit, inter caeteros Episcopos Victorinum adfuisse non legimus. Nullo prorsus historiarum suffragio comprobari potest, num hic Antistes Camerinensis poenae finem concederet Victorino Severini fratri. Nihil ejusmodi apud nos factum fuisse constat: nullum Victorini Episcopi nomen ab actis relatum video.

Victorinus spiritum Deo reddiderat, et Severinus in loco devio scorsum divinae contemplationis dulcedine superfusus, caelestium immissionum dona cumulatius sentiebat. In quem vero deterrimum statum Piceni provinciae ecclesiae tunc essent prolapsae, docent abunde Romanorum Pontificum literae, quas universis Episcopis per Picenum inscripserunt. Piget adhuc ea recensere, quae, pessimo Pelagianae impietatis, et audaciae foetu, ad divina humanaqne omnia perturbanda fuerant congesta. Sed illud praesertim indignationem et nunc excitat, religionique plane intolerandum et modo est, divinas praescriptiones tantis erroribus adserendis a sene illo miserando, cui Seneca nomen erat, fuisse allatas; eumque ad Picentes lege obedientiae solvendos sacras scripturas ubique obtendisse, ipsarumque verba

divina ad prava hujuscemodi deliramenta inculcanda callide, audacterque detorsisse, quo fidentius pro luce tenebras offunderet, et pro melle, vel potius in melle venenum propinaret, novum cudens populis evangelium, aliudque praeponens fundamentum praeter id, quod positum erat. Haec notant historici: nec quidem deerant, qui Picentum ecclesiae reparatores se jactabant, qui dignitates jure ipsis deberi suomet, aliorumque ore praedicabant, quique pallium, aut scite contrahentes, aut zona tenus philosophantes, pietatis specie quadam et fuco sese ipsos oblinebant. Verum hanc tantam perniciem sanae doctrinae illatam silentio minime dissimularunt cives, ubi cathedra nostra Episcopalis suo fuit viduata Pastore. Nihil ipsi in Episcopo splendidius fulgere humilitate autumantes, protinus Severinum civem suum in ore habuerunt; eum rerum divinarum cognitione sublimem, eum scribarum, ac legislatorum primum, eum Episcopum calculo omnino caelesti designarunt, ac vocari ab hominibus Episcopum expetiere. Continuo ad eum legati Prolaqueum usque fuerunt missi: sed peracerbum ex civium voto vulnus cordi suo inflictum Severinus ingemuit; neque in summo,

quo inde conficiebatur, moerore, spes ulla erat consolationis, nisi cives in vias revocarentur electionis alterius. Levavit idcirco oculos, et manus ad Eum, qui sapientiae dux est, et emendator sapientium, ipsumque multa prece rogavit, ut, electoribus dato corde docili, et animo magno, laeta ab ipso ecclesiae Septempedanae, laeta ordini civium, laeta sanctae huic sedi, laeta humilitati suae properarentur. At cives faustum ac felicem illum solummodo duxerunt diem, quo Severinus urbem Episcopus esset ingressus. Narrant haec acta, quae illius temporis disciplinam pingunt.

Scimus, diu in Ecclesia *laicos* viros, seu vi, sive conniventibus Pontificibus Maximis, in electionibus Episcoporum plurimum potuisse. Quare tradit Vanespenius *in jure ecclesiastico*, saeculo Christi XII. coepisse electiones Episcoporum transire ad Capitula Cathedralia ob *laicorum* dissidia intestina, ex quibus extrema vis, ipsae etiam caedes eruperunt. Missa hac in re faciam varia Pontifices inter, et Reges foedera sequioribus saeculis inita. Neminem insuper puto eruditorum latere, per duodecim et amplius saecula penes Metropolitanum fuisse praecipuam, tum in confirmatione, tum in con-

secratione Episcoporum auctoritatem. Ast Italos, Siculos, aliosque Dalmatiae vicinos nonnisi a summis Pontificibus, vel ex eorum licentia, ordinatos fuisse, colligitur ex multis S. Gregorii Magni epistolis. Hinc Picentum Episcopi, qui Romano Pontifici, ut Primati, obediebant, Romam, ut ordinarentur, consueverant evocari, teste Concilio Tarraconensi anno 516. habito. Idipsum Severinum gessisse, si acta commemorant, consentaneum est veteri Ecclesiae disciplinae. Elici haec, aliaque ejusmodi possunt ex epistolis Gregorii Magni, ex ejus vita a Joanne Diacono conscripta, et ex divi Leonis operibus. Haec scite ipse admonet Vanespenius, qui etiam docet, Episcopos Italiae ac Siciliae ex antiquo more frequentius Romam ad concilium convenisse, ut obscuriora vel fidei, vel sacrae disciplinae negotia una cum Pontifice enuclearent.

Justinianus, Justini haeres, in Oriente imperabat ingenti vel felicitatis, vel sapientiae fama, cum Severinus in demortui Episcopi locum fuit suffectus. Auxerat Augusti gloriam Belisarius, qui, Persis domitis, Gelimere Vandalorum Rege capto, Africaque recepta, victoriis nitens in Siciliam duxerat exercitum. Is Roma, civibus dedentibus, erat potitus, et Vitigem

bello persecutus, accisis Gothorum viribus, universam Italiam in Justiniani imperium redegerat. Post varios fortunae casus ipse Romam reversus, Theodorae Augustae jussu, Sylverium Pontificem Agapeto sublectum sub custodia Byzantium miserat, confictis in eum criminibus, quasi Gothis prodendae urbis consilia agitasset. Statim Belisarius ipse curaverat, ut Pontifex legeretur Vigilius, Sylverio ad Tyrrheni maris insulam relegato. Dum ita Italia, diutino vexata bello, schismatis, famis, pestisque subire incommoda cogebatur infelix; Sylverius inedia, aliisque aerumnis conflictatus occubuit, martyris titulo ab ecclesia insignitus. Tum Vigilius, ad cleri suffragium referendum, se ipsum Pontificatu abdicavit; brevique habitus fuit legitimus Pontifex ac integerrimus, gratia omni in Augustam, Antimumque Episcopum posthabita. Ad annum 540., juxta Coletium *in Italia sacra*, Severini ad urbem profectio, ejusque consecratio cum actis est referenda, minime vero ad annum superiorem cum patriis scriptoribus.

Morem esse pervetustum, ut electionis decretum ad Pontificem, seu ad consecratorem Episcopum deferendum scriberetur, docent

passim libri Pontificales, auctores, atque acta conciliorum. Meminit ejus ritus Sozomenus in *historia ecclesiastica*; et Eusebius Ancyrae Episcopus in Concilio Chalcedonensi testatur, se ordinasse Gangrensem Episcopum, universa civitate ad se decreta electionis deferente. Quomodo vero in Romana Ecclesia idipsum perageretur, scite tradunt Mabillonius in *Musaeo Italico*, et Edmundus Martene *in Libro de antiquis ecclesiae ritibus*. Hinc quarta Synodus Carthaginensis quamplura de Episcoporum electione recensuit, quibus haereticorum novae, aut saltem redivivae haereses causam dederunt. Probatae vero, spectataeque scientiae ii esse debebant, qui ad alios docendos deligebantur. Quare Vigilius Severinum *a longo tempore pro veris meritis videre* desideravit ... *et, tota sibi Romana curia annuente, cum maximo honore est consecratus.*

Vel ab ipsis Apostolorum temporibus celebratas fuisse solemni ritu Episcoporum ordinationes, demonstratur ex celebri Actuum testimonio. Certe Auctor *ecclesiasticae Hierarchiae* in Capite III. *nullum licere*, ait, *Sacramentum perfici hierarchici muneris absque divina Eucharistia*. Nec profecto difficile esset divinare, quae olim Missa in Episcopi ordi-

natione diceretur, si vetus ordo Romanus, Pontificalis codex Compendiensis, aliique complures evolvantur. Haec monent verba *cum maximo honore*, quae nos superius recitavimus: haec illa, *tota sibi Romana curia annuente*, quae univoce consonant cum Pontificale ecclesiae Lugdunensis ante annos CCC. exarato. Nihil olim in Latina, ac etiamnum in Graeca ecclesia tam usitatius, quam plurimum presbyterorum, aut Episcoporum, cum uno principaliter celebrante concelebratio. Illud autem Vigilii desiderium a *longo tempore pro veris meritis* enutritum Severinum visendi aperte confirmat Coletii sententiam, qui Episcopi nostri ordinationem rejiciendam scripsit ad annum 540.

Scimus, Vigilium anno 537. Romam reversum cum literis Theodorae Augustae, ut in Pontificem eligeretur, curasse, ut Sylverius jam Romae ordinatus, et sedens, in exilium a Belisario mitteretur anno 537. juxta Pagium. Scimus, Vigilium, in Sylverii locum intrusum, ordinatum fuisse Antipapam, perpaucis elapsis diebus, uti ex Procopio colligitur *in Libro I. de bello Gothico*. Ac mortuo Sylverio, et Vigilio, ut supra diximus, legitimo ecclesiae pastore

renuntiato, nos non latet, eum anno 540. solemni fidei professione ea abrogasse, quae alias in Synodi Chalcedonensis fidem ad Theodoram Augustam sacrilege scripserat; et eadem de re duas literas IV. et V. ad Justinianum Imperatorem, et ad Mennam Episcopum Constantinopolitanum dedisse. Nunc licet ex iis inferre, Severini famam ad Vigilii aures a *longo tempore* penetrasse, antequam scilicet Clerus Romanus ejus Pontificatui consensisset. Rebus vero ut supra jacentibus, Coletius haud perperam respexit ad annum 540., etsi de hac temporis nota sileant acta.

Singulari Vigilium affecerunt gaudio illustria fidei testimonia, quae Severini sanam, et, quam sequi unice fas erat miserrimis illis temporibus, doctrinam declarabant. Sed fidentius dilatavit Pontifex paternae charitatis viscera in Filium, quem luculentiora in dies documenta Picentibus daturum esse sperabat. Et quamvis haud acta commemorent honores in eum Septempedam redeuntem a civibus institutos: tamen plura hac de re nos docent exempla ab ecclesiastica illius aevi disciplina petita, quae apud Nazianzenum, Augustinum, aliosque leguntur. Ipsae quodammodo civitates prope

convulsae sedibus suis ad occurrendum Antistiti procedebant. Viae legatorum multitudine celebrabantur: ordines ita erant coorti, ut urbes alio transferri viderentur. Ii undique concentus, ii tubarum sonitus, et exclamationes extabant, ut prae gaudio magna pars flerent, illosque dies jucundissimos appellarent. Hec inter Episcopus ab Optimatibus exceptus, et Magistratu, Cleroque circumfusus, cum faces universi, qui aderant, praeferrent, ductus ad ecclesiam in solio suo ponebatur. An Severini ingressus in urbem ejusmodi speciem habuerit, satis non patet. Sed constanti traditur fama, illum huic sedi impositum magis magisque ostendisse, quantum animo, quantum sapientia et integritate valeret. Visus est Deus Mosaicam virgam ejus in manibus consignasse. Vincebat ubique, ubique de saeculi terroribus triumphabat. Ast dolendum summopere, res ab eo fortiter sapienterque gestas, dum inter Francos reges simultates ortae ita in Italia exardebant, ut scinderentur in partes exercitus, neminem ejus aetatis auctorem fuso calamo literis consignasse. Nec mirum: Theodobertus enim Justiniani fastum stomachatus Italiae provinciis se infuderat, et veluti ad praedam propo-

sitam impotenti furore ad Picentes usque rapiebatur. Quare hoc in patriae discrimine licet potius cogitare silentio, quam sermone complecti, uti arma, quae nonnisi caedes petebant, alio Severinus converteret. Eadem ratione nihil assequi, nisi conjectando, licet de ejus studio in cives, dum Totilas, Theobaldi nepos, ingentibus victoriis elatus, cum populabundo exercitu, torrentis instar, in Italiam procurrebat. Dum erant omnes consternati, dum extrema imminebant, quam honorificum esset referre, Gothorum duces, quos neque Belisarius, Romanorum fortissimus, neque foederati Reges junctis viribus compescere potuerant, ab uno Sacerdote inermi, quo usque vixit, repressos, et flagellum istud terribile Deo velut e manibus extortum! Sed, si haec, aliaque pro certo scire desideramus, juvat affirmare, Severinum Gothos, tanquam leones caedem anhelantes, obvios in via habuisse, eosque ipsius voce perterritos praedam, quam tenebant, subito dimisisse ex unguibus, et fugam quantocius capessivisse. Immortales Deo optimo maximo grates sint igitur, cujus providentia singulari factum fuit, ut rerum gestarum ejus thesaurus inaestimabilis per illa ipsa saecula,

quibus omnia divina atque humana miscebantur, instar opulentissimae haereditatis, si non totus, pro maxima certe parte ad nos devolveretur. Quae, quanto in pretio apud accolas, exterosque fuerint, breviter pro more nostro, nec tamen indiligenter, exponemus.

Facile quidem non est Antistitum aliquem proferre, qui religionis christianae cultui tantopere consuluerit, alterum regni annum Totila auspicante. Cuilibet, vel parum in rebus a Severino gestis versato, non potest non compertissimum esse, pro virili ipsum incubuisse, ut sanctum illud communis vitae institutum a Clericis retineretur, quod ineunte saeculo IV. scimus in Italiam fuisse inductum opera Eusebii Episcopi Vercellensis. Nam, defervescente in dies vetusta illa disciplina, in more jam positum erat, ut non solum Episcopi a Clericis, sed Clerici quoque inter se seorsim vitam agerent, ac unusquisque res suas curandas susciperet. Imo quamdam ecclesiae redituum partitionem a medio saeculo V. in Piceni ecclesiis usurpatam esse patet; et id nulli dubium esse potest Simplicii Romani Pontificis epistolam delibanti, quam anno 475. dedit Florentio, Equitio, et Severo Episcopis *super Gau-*

dentium Episcopum Aufiniensem. Doluerat hinc Gelasius Pontifex in epistola ad Picentum Antistites missa anno 493., Clericos tanta segnitie, tantaque suscepti ministerii dissimulatione commissum sibi neglexisse animarum regimen, ut subrepentibus nequitiis praebuissent nutrimenta proprio perditionis exemplo. Hac in culpa fuisse et Clericos nostros, eosque Severinum *ad integritatem reduxisse*, constat ex actis: et illud veri longe simillimum est, ad Eusebianam sententiam ab illo iterum ea *Clericorum collegia* fuisse traducta, a quibus origo Canonicorum ecclesiae nostrae est repetenda, licet ipsa Canonicorum vox posterioribus tantum saeculis sit invecta.

Pelagianae haeresis sectatores leges dederant inter Picentes, ut viri Deo sacri sacris cum mulieribus contubernium haberent. Gelasius Pontifex summopere in laudata epistola erat conquestus, quod ecclesiarum Praesules tanta facinora negligerent. Quaedam enim puellae sanctis ministeriis mancipatae in parentum aedibus versabantur: aliae in monasteriorum septis vitam degebant. Quae primi generis erant, in communem ecclesiam cum *laicis* ad sacra conveniebant, ad destinatam sexui foe-

mineo templi medietatem, quae viris erat inaccessa, ut ex Ambrosii epistola ad *virginem lapsam* colligitur. Aliae, quae in monasterio secesserant, strictiori disciplina circumsepiebantur. Quod autem spectat ad eas virgines, quae proprias parentum aedes incolerent, illustre praebent exemplum tres S. Gregorii I. Pontificis amitae, invicem sorores, Tersilla, Æmiliana, et Gorgonia virginitatis voto Deo consecratae. Has in anno aetatis vigesimo quinto agentes virgineum flammeum ab Episcopis accepisse, refert Concilium Carthaginense tertium. Non mirum proinde videri debet, si acta nostra commemorent, hujusmodi vitae genus in pristinum sanctimoniae statum ab Episcopo nostro restitutum fuisse. Nec desunt apud Mabillonium *in praefatione II.* exempla, viros saeculares nonnullos una cum Clericis saeculo VI. Episcoporum cura cohabitantes in Clericorum vestibus incessisse. Ne sacra etiam miscerentur profanis, et ne sacrae Virgines cum Vestalibus confunderentur, a primis Ecclesiae temporibus quamplura edixerant Synodi.

Dum ita Severinus ab alio negotio transibat ad aliud in Pelagianorum damnum, illud

etiam mente tenebat, quod agere visitationis officio compellebatur. Jure enim ac merito a sacris canonibus cautum jam fuerat, ut Episcopi dioecesim visitarent, uti videre est apud Gratianum *in causa X*. De S. Basilio Caesariensi Episcopo scribit Socrates *in historia*, quod urbes perlustrans languentes in fide confirmabat. Quanta a militibus in visitatione sibi occurrentibus S. Martinus Episcopus Turonensis passus sit, narrat Sulpitius *in dialogo II.* Quanta autem esset necessitas dioecesis tunc invisendae, docet nos inter alios Augustinus in epistolis. Ejusmodi zelo, egregiaque charitate Severinum exarsisse, nulli incompertum esse potest. Horret animus temporum illorum injurias persequi. Tam multis ex annis inter Constantinopolim, et Alpes Julias quotidie romanus sanguis effundebatur. Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Wandali, Marcomanni vastabant, trahebant, rapiebant Italiam. Capti Episcopi, interfecti Presbyteri, subversae Ecclesiae, ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effossae reliquiae: et quasi non haec sufficerent cladibus, plus pene fames, et effraenis pestilentiae morbus, quam hostilis mucro inter Picentes consumpsit. Nil igitur mi-

rum, si Picentum ecclesiis, suo passim pastore carentibus, modo unus, modo plures Episcopi praefuissent. Exemplo sint literae, quas anno 475. Simplicius Pontifex dederat Florentio, Equitio, ac Severo Episcopis *super Gaudentium Episcopum* Ecclesiae Aufiniensis, quae quidem erat satis nobilis in Piceno. Quare veritati longe consentaneum esset cum actis statuere, tum Severinum conterminis quoque Ecclesiis viriliter studuisse. Nos vero in re tam antiqua ingenue fatemur, plures istiusmodi Severinianae *legationis* causas ex tot calamitatum, et bellorum turbinibus promanare: multa etiam per eum gesta esse non dubitamus dignissima, quae episcopalis quoque mitrae privilegio decorarentur; sed utraque de re dolemus, speciale, et quidem tum necessarium, Pontificis mandatum, aut literas nobis vetustatem invidisse.

Scimus, Romani Pontificis Vicariorum multiplex discrimen fuisse. Quidam enim dicebantur Legati *a latere*, quidam Cognitores, seu *Commissarii* dicti a Concilio Sardicensi, habentes mandatum a Papa, ut causas in provinciis, aut dioecesibus exortas inquirerent, vel judicarent, vel reviserent. Alii dicebantur Apocrisarii, qui ad Imperatores, ut res ec-

clesiae apud eos tuerentur, mittebantur. Frequens est eorum mentio in epistolis Gregorii Papae. Quin et episcopi suos, ubicumque opus erat, Apocrisarios habebant. Scimus, Caelestinum Pontificem in causa haeresis Nestorianae Cyrillum Alexandriae episcopum sibi creasse Vicarium, ut Constantinopolis ecclesiam regeret, quam Nestorius quasi lupus devastabat. Legimus, Hormisdam Salustium Hispalis episcopum constituisse per omnem Baeticam, et Lusitaniam Vicarium suum apostolicum. Ipsum Remigio Rhemensi episcopo eamdem contulisse potestatem per universam Clodovaei ditionem, haud ignoramus. Habemus prae oculis quamplures Pontificum Zosimi, Symmachi, Vigilii, Gregorii Magni epistolas, quibus ad Vicariatum apostolicum super nonnullas Galliae, Hispaniae, Germaniae, Angliae provincias Episcopos promovent: sed Pontifices idipsum nunquam legimus cum episcopis Italiae gessisse. Haec dicta sint in eorum sententiam, qui de Severini *legatione* apud Picentes scripserunt. Ad ejus vero mitram, et baculum asserendum haec proferam.

Mitra passim Sacerdotes antiquae legis usos fuisse, aperte indicant sacrae literae. Fuisse

mitram profanum etiam capitis ornamentum, quo primum Maeonii, deinde Egyptii, Syrii, Phryges, et Lydii usi sunt, Scriptores non pauci tradiderunt. In christiana religione primis saeculis imponi consuevisse mitram virginibus Deo devotis, testantur Optatus Milevitanus *Libro II. in Donatistas*, et S. Isidorus Episcopus Hispalensis *in Libro XIX. Originum*. Quoad Episcopi mitram, patet, nullam ipsius fieri mentionem in Amalario, Rabano, Alcuino, aliisque priscis auctoribus. Hinc forte natam plerique autumant esse opinionem Panvinii *in vitis Romanorum Pontificum*, qui asserere non dubitavit, mitrarum usum in ecclesia Romana post saeculum X. fuisse invectum. At e contrario mitrae antiquitatem acerrime propugnarunt Suassajus, Vicecomes, Lupus, aliique. In occidentali ecclesia longe ante annum Christi millesimum mitras locum obtinuisse, contra Menardi sententiam ex eo probant Auctores non contemnendi, quia scilicet ex tabellis, atque imaginibus Summorum Pontificum, quas ex antiquis romanae urbis monumentis aere incisas repraesentant Bollandiani in propileo maii, maxima pars post S. Silvestrum cum mitra oblonga, et ro-

tunda cernitur. Scriptoribus in mitrae antiquitate definienda inter se ita digladiantibus, eruditissimus Mabillonius *in praefatione saeculi IV.* probavit, mitrae usum in ecclesia semper fuisse, sed *non quibusvis Episcopis absque speciali sedis apostolicae facultate licuisse.* Hanc Mabillonii opinionem ego admittens, quam strenue tutatus fuit Martenius ipse, mitrae ornamentum Severino aeque ac baculi usum minime pro meritis denegandum puto.

De pedi episcopalis, sicut et sceptri regii, origine tradit Thomasinius, initio quidem non fuisse illa, nisi baculos, quibus gressum firmarent episcopi et reges, dum longum emetiebantur iter; eaque tandem lapsu temporis, addita eis opulentia, evasisse utrorumque insignia. Fuisse primis ecclesiae saeculis baculos ligneos, cupressinos, eburneos testimonium habemus in epistolis Stephani Tornacensis, ex Bona, Duranto, Vicecomite, Gavanto, aliisque. Olim fuisse a capite arcuatos, in ima reflexos, observat Martenius. S. Severini baculus est eburneus, ac retortus: et nihil majus, atque exoptatius mihi de Severino disserenti hodie potuit evenire, quam ab injuriis temporum vindicare rarissimum monumentum,

quod vidi in aedibus Josephi Gentilii e Rovellono, quodque in opere lapideo impressum per dena forsan saecula Severini, et Victorini effigiem nobis transmisit. Praecipua paucis delibabimus.

Sacrae Beatorum imagines suis expressae symbolis conspiciuntur. Tunicatus idcirco objicitur Victorinus, qui, ut aliqua ratione a monachis distingueretur, strictiores habet manicas. Plura hic de eremitarum, ac monachorum tunicis nobis edisserenda suppeterent; sed, ne otiose in his, quae notissima sunt, immorari videamur, quod ad instituti nostri propositum facit, investigandum est: quid nimirum ille liber prospectantibus innuat, qui in ejus laeva assutus conspicitur. Hic, ut ipsamet ratio suadet, peculiaria arcanorum indicia continet. Verisimile tamen nobis fit, volumine illo eremiticas regulas praesignari, quae per dexteram ante pectus explicatam aperte praenotantur, quaeque veluti dicunt: harum potenti virtute in eremum Victorinus se abdidit: hoc consilio post labores, pericula, quibus conflictatus fuit, victor caelestem aulam ingressus est. Ut Severinum tiara redimitum aggrediamur, studiosus, et recolendae antiquitatis cultor norit,

quod Episcoporum imagines aptatis capiti pileolis contemplandae passim in priscis caemeterialibus historiis objiciuntur. Erudite Hieronymus illa Danielis verba exponit: *et confestim viri illi vincti cum braccis, et tiaris*: *tiara*, inquit, *genus pileoli*. Diversae tamen fuerunt tiarae, quibus uti antiquioribus saeculis Episcopi consuevere. Aliae quidem rectae, et acuminatae erant: aliae satis depressae, ac paululum inflexae juxta ejusdem Hieronymi, Suidae, Senecae, aliorumque sententiam. Nil igitur mirum, si Severinus hujuscemodi tiara depressa capite coopertus nostra in tabula exhibeatur, quam nos antiquissimam esse putamus. Haec Severinum dextra elevata benedicentium in morem stantem exhibet: haec Severinum laeva baculum inflexum tenentem praesefert. Innocentius III. nobile quoddam in baculo ecclesiasticae hierarchiae symbolum agnovit eo in sermone dominicali, quem post dies Paschales edidit. Ipse Augustinus ejusdem baculi formam ingeniosis observationibus extendens, plura in mysterii elucidationem congessit.

Sed haec, quae nunquam obliviscendae pietatis sunt, omittamus: tempus nam postulat, ut Severinum, qui nefariis vaferrimorum

hostium conatibus invictum pectus opposuerat, et in tanta Italorum perturbatione corruptae ecclesiae disciplinae corrector extiterat, extremo ipsius vitae tempore ad mortem usque cum moerore, et gemitu prosequamur. Imitemur viros illos pientissimos, qui cum strenui adjutores in praesulatu illi adfuissent, morientis etiam lateri ad extremos cruciatus levandos adhaerere fideles, studiosique consolatores voluerunt. Quamquam ipsi magis consolationis indigebant, quam Severinus: acerbum enim afferentibus nuncium lacrymae erumpebant ex oculis, dolor debilitabat, includebatque vocem. Quibus in gemitu, et in ipso etiam silentio satis loquentibus, vultu animoque ad tranquillitatem composito, nihil est, inquiebat, quod sorti illacrymemini meae; nec me nuncius iste — *Pastorem in tua colloca ecclesia... nam die tertio, scilicet Dominico, carnem es relicturus* — quem jam Angelus attulit, angore conficit, sed molestiis omnibus liberat. Nec difficile sane illi fuit animum ad omnem pietatem comparatum a mundo ita avertere, ut de illo caelesti regno solummodo cogitaret. Quare, cum impetrasset, ut sibi uti liceret potestate ab Angelo facta; in eo potissimum,

quae supererant, vitae momenta impendenda curavit, ut anteactae vitae cursum pie defleret, et sacramento expiaret. Quibus religionis officiis cum sancte integreque esset functus, filios suos ad se arcessit, postremum alloquitur, amplectitur, consolatur. Quae vero tunc suorum lacrymae, qui motus, quae pietas! Unus in tanto omnium moerore Severinus sui securus, nec nisi de suorum dolore sollicitus, jam sponsam amatissimam, jam moestissimam urbem, jam carissimos filios hilari obtutu, et suavissimis verbis recreabat. Quid enim, ajebat, vicem doleatis meam, cui unus idemque futurus sit vitae, ac laborum finis? Cur autem diutius vivam, in tanta rerum acerbitate quotidie moriens? ne quaeso aerumnarum tempus prorogatum mihi velitis, atque eo potius respicite, quo mihi brevi commigrandum est. Aula est, quae proponitur, caelestis, tuta, aeterna, cum terrena hac et fluxa, et calamitatibus obnoxia commutanda. Quid vobis futurum sit, video: durate tamen, et quidquid ad caeteras molestias, quas passi hactenus estis, accedere possit, patienter ferte, ut instituistis, ac fortiter: quod si melioribus, ut spero, vobis aliquando uti licebit, vestra infortunia, non ad

ulciscendum, sed ad rerum humanarum mobilitatem considerandam, ob oculos vobis ponitote. Atquae haec ille cum diceret, quo firmiore animi constantia, atque oris hilaritate dicebat, eo acriore ab illo ipsi divellebantur dolore. Credi vix potest, quae interea mandata dederit, quae dixerit, quam in tranquillo fuerit. Ad extremum, compositis rebus omnibus, aliisque curis solutus, enixis se Deo precibus commendavit, caelestique Pane religiosissime refici voluit, ut ad postremam illam luctam subeundam paratior et fortior accederet. Severinus paululum *in cinere et cilicio* moratus, secure confidenterque caelum conscendit *die Dominico.* Nec dum spiritum ipse exhalaverat, nec dum Christo reddiderat animam, et jam fama volans, tanti praenuntia luctus, totius urbis populum ad exequias congregabat. Inter Procerum catervas ipse clerus sacrum corpus in ecclesiam recepit, exceptumque populis demonstravit. Extinctus quidem ardor oculorum, nulla in aureo ore lingua personabat; quacumque tamen corpus illatum esset, omnes magnis vocibus exclamare, omnes certare officiis, spargere flores, modulari carmina. Imo ignis caelitus immissus aerem per tres horas

corripuit, quo curia quasi conflagravit universa. Postquam omnes venerati sunt ossa publice, et Severinum patrem patriae conclamarunt, in *eodem* eum sepelierunt *loco, in quo habuerat monasterium.*

Malui haec, utcumque, meis, quam actorum verbis reddere. Sed antequam ulterius progrediar, operae pretium duco nonnulla afferre, quae ad desuper praelibata spectant. Utrum is, qui episcopatus ordine erat insignitus, posset in praesulatum successorem eligere, cogimur fateri, altum ea de re esse in priscis libris Pontificalibus silentium. Omnes enim, uti observat Martenius, de electione *sepulto Episcopo* facienda loquuntur. Possem tamen hic varia exempla coacervare, quibus ejusmodi electio, vivente episcopo, fuse probaretur: possem varia Sanctorum acta hic recensere, inter quae illa a Surio evulgata, ubi quamplura huic Severiniano negotio consona exponuntur. Sed audiendi sunt Bollandiani idipsum referentes in vita S. Agricii Episcopi Trevirensis. Imo idem occurrit passim apud scriptores Ecclesiasticos, qui idcirco summopere divi Augustini zelum, et egregiam charitatem commendant. Nam cum ipsi minime satis esset, ut legere est in *epi-*

stola 261., ad Fussalense castrum saepissime ventitasse, ut cives a Donatistarum schismate ad catholicam ecclesiam traduceret, proprium etiam ibi, et peculiarem episcopum ordinari curavit. Is in epistolis 213. et 110. de se testatus est, successorem anno 426. Eraclium se elegisse, et exemplum Severi Episcopi Mileviensis Clero et populo ipse protulit, uti notat *Fleury in hist. ecclesiastica.* Nil igitur mirandum, si et Episcopus noster, superna etiam vaticinatione erectus, civium saluti, et ecclesiae utilitati consuluerit, negans, tunc urbes respirare posse, si praesulum vigilantia laborarent. Quem autem Severinus elegerit, nobis, rationibus infra adducendis, incompertum est. Scimus tamen, electionem ejusmodi, saeculo VI. ineunte, haud *Canonicis*, ut juxta sequioris aevi disciplinam Cancellottus autumavit, sed *Majoribus ecclesiae*, *primum clericis*, *et probabilibus laicis convenientibus in unum* pertinuisse.

Si quis quaerat: ecquid causae fuerit, ob quam Severinus in *cilicio* se, *et cinere* poni moriturus exigeret? Fuit, juxta Martenium *de antiquis ritibus*, in Ecclesia mos, ut homines in cineris ac cilicii strato, tanquam illic emo-

rituri, exponerentur. Tum eorum oculi ad Deum erant defixi, manus erant extensae, et Sanctum Spiritum invitantes obsecrabant, ut id in *testimonium* poenitentiae *ante Deum* in die Judicii peragerelur. Ita et Severinus bonis omnibus defletus occidit, et gloriae munera ubique gentium Ei adhuc persolvuntur. Restat, ut de die, de anno emortuali, de sepulchro, et tandem de ejus cultu disseramus, in quibus sane difficilia multa, neque obvia, erunt explicanda. Sit tamen discretio, quae nobis haec tractantibus ordinem ponat, quaeque inter multiplices auctorum opiniones media, quasi quaedam arbitra, sedens utrinque certis limitibus statuat fines: uni assignans et praebens, quod sat est; alteri, quod nimis est, demens. Faxint interea Superi, uti eorum supercilium vitemus, qui judicare tantum de aliis, et ipsi facere nihil noverunt.

Traditio in Ecclesia Septempedana viget, Severinum ad Superos advolasse die VIII. januarii. Id comprobatur ex cultu, qui a majoribus nostris Severino sub die relato cum officio peculiari tributus fuit; quod tamen officium in desuetudinem ivisse accepimus post bullam S. Pii V. de breviario romano. Et licet, quo

potissimum tempore istud inoleverit, incompertum omnino sit; nihilo tamen minus a vetustioribus saeculis repetendum esse illud suadet, quod post annum millesimum occurrant indicia sane luculentissima. Et primum Severini et Victorini memoria inter aliorum caelitum invocationes habetur in litaniis codicis ritualis bibliothecae Laurentianae saeculo XI. exarati, uti scitissime animadvertit Lamius in *actis martyrii S. Genesii romani*. Mox, si cui scrupulus insit affigendi Severini obitum dici VIII. januarii, adeat ille pervetustum martyrologium romanum. Idipsum ex illo, Bedae nomine insignito, nosse datur cum Bollando, qui ipsos Antuerpienses hagiographos facti ancipites reddidit. Ejusdem ponderis indicia nactus sum in Kalendariis saeculis XIII. XIV., et XV. scriptis, quae Christianopulus evulgavit in opere de S. Exuperantio Cingulanorum (1) Episcopo. In eamdem sententiam descendit Ludovicus Lazzarel-

(1) *Januarius* — *VI. idus* — *Ariminense* 1240. *circ. S. Sev. Ep. et conf.* — *Avellanense* 1260. *circ.* — *Fabrianense* 1350. *circ.* — *Sanseverinen.* 1400. *circ.* — *Avellanen, post an.* 1400. — *S. Sev. conf.*

lius in poemate, quod saeculo XV. *de fastis christianae religionis* ipse concinnavit, quodque memoriae posterorum tradi dignissimum sane foret. Hoc idem priscae municipales leges urgent: iis consonant Sollerius, et de Aste *in notis ad martyrologium romanum*. Diem ipsum, uti emortualem, citra omnem temporis memoriam usque ad nos, ratum habuere in synodis Sperellus, Maidalchinus, aliique Episcopi, qui ad infulam nostram fuerunt assumpti.

Eadem ecclesiae universalis monumenta testantur, qua potissimum ratione festum sub die VIII. junii fuerit institutum usque ab anno 1198. Saeculo XII. ad occasum vergente *contigit*, uti notat Glaberius, *in universo pene terrarum orbe, praecipue tamen in Italia, et Galliis innovari ecclesiarum basilicas, licet pleraeque decenter locatae minime indiguissent.* Quare Muratorius *in annalibus*, Tiraboschius *in historia literaria*, et Oliverius *in antiquitatibus Pisauri* sacras principes aedes in plerisque Italiae urbibus, aut nova accessione locupletatas, aut magna ex parte circa haec tempora restitutas fuisse opinarunt. Anno superius allato et maximum templum nostrum a majoribus, aequalis gloriae stimulis excitatis, instauratum esse, locupletis-

simus testis est solemnis ejusdem inauguratio, quam in Severini honorem sub die VIII. junii evenisse legimus publicis in monumentis. Ipsa autem exlex symmetria satis indicii est, totum templi aedificium nequaquam unius aetatis opus fuisse. Sane januam illam occlusam, quae porticum interiorem respicit, e marmore satis rudi elaboratam, et acutam figuram referentem, anno, de quo est sermo, factam esse docent eruditi. Huc etiam spectare arbitror, quod in Picentum historiis passim me legisse memini: nempe saeculis XII. ac XIII. praesertim hujusmodi inaugurationis ferias, et peculiare festum municipali statuto indictum tam impense celebrari consuevisse, ut commentitia quoque acta, si genuina deessent, eorum praesertim procuderentur, qui in patronos cooptati cum sanctimoniae fama episcopatum gessissent. Solemnia sane plura de hujusmodi dedicatione apud nos facta reperimus. Lazzarellius ipse rerum nostrarum scriptor vel longe solertissimus cecinit, quomodo, consummatis solemnibus sacris, turba civium effuso gaudio ad spectacula pro more temporum irruebat. Non plateae, non porticus capere poterant prospectantes. Audio ludentium turmas, et advenarum choros faven-

tes sibi omnes in gloria Severini, de quo laetabatur oppidum, et de quo exultabant Picentes. Hinc suos in unum populos et nunc Septempeda conspicit die VIII. junii ad sacram Severinianam aedem accedere: et quasi dies ejus emortualis esset, civitas prope convulsa e sedibus suis ad venerandum conservatorem suum procedere videtur, et ejus caput, in argenteum simulacrum occlusum, a templo in urbem, ab urbe ad templum deducit. His perpensis, nemo est, opinor, qui pro die VIII. junii tanquam emortuali cum Baronio ita pronunciet — *In Piceno S. Severini Episcopi Septempedani.* — Sapientissimus vir in romano martyrologio, quod ipse emendavit, Severini res in antiquis codicibus descriptas se ab ecclesia nostra accepisse subdit. Sed, si me audis, ne de Severini obitu ad diem VIII. junii amandando ibi sermonem haberi suspiceris, ast tantum de ejus *commemoratione* in ecclesia nostra longe ante annum 1250. invecta. (1) Mea tamen sen-

---

(1) Ex Kalendariis a Christianopulo evulgatis anno 1771. in opere *de S. Exuperantio Cingulanorum Episcopo* ita habetur — *Junius* — VI. idus — Avellanense 1260. circ. Sanseverinense saec. XV. — jun. VI. idus — dedicatio S. Sev. —

tentia Baronium excusat festum dedicationis templi principis, quo caput, ut desuper innuimus, divi Antistitis solemni ritu circumducendum edixerant majores. Praecipuas sane curas in emortuali Severini die VIII. januarii posuit Martiarius Episcopus, qui anno 1587. plura de eo scripsit, et centies, centiesque venerandam ecclesiae nostrae traditionem inculcavit. Mox Pieragostinum Episcopum cives nostri audierunt anno 1741. in *parergis notabilibus* hac de re graviter disserentem.

Haec, quae ad Severini obitum spectant, alia exsolvunt dubia, et cum Bollandianis damnant Franchii opinionem, qui *in vita S. Severini*, *gratam Deo animam* Antistitem nostrum *exhalasse* scribit *VI. Kal. majas*. Hinc male feriati hominis opus esse videntur verba, quae mihi occurrunt in actis manifestum aetatis XII. saltem saeculo inferioris indicium praeseferentibus — *ad caelestia cito meruit* Severinus *regna migrare VI. Kal. majas* —: hinc sublestae fidei a me habentur et illa, quae Mombritius, et Castellanus retulere — *Idibus maii ejus depositio celebratur*; *licet et Kal. maii*, *quibus est adeptus sacerdotium*, *turba conveniat*; *tamen ad supradictum diem*, *velut ex*

omni orbe, devota concurrit turba — Omittant haec sane cives, quando illud a Bollandianis jam impetravimus, quod praecipuum nobis erat scribendi incitamentum. *Certe*, ipsi tradunt, *XXVI. aprilis, XV., I. Maii, qui dies hic exprimuntur, nullum e nostris martyrologiis ejus meminit.* Rursus sub die XXVI. aprilis: *S. Severini Episcopi Septempedani. Hac die dicitur in actis obiisse, ut ex actis patet, nisi vitiata sint: nullum e nostris martyrologiis ejus hic meminit. Acta dedimus VIII. januarii.*

Ea vivimus tempora, in eam aetatem incidimus, in qua nihil contra monumentorum fidem adstruitur. Haec, citra omnem aevi memoriam, testantur, diem XXVI. aprilis pro prima S. Severini corporis inventione esse firmandam. Nam cives hac die, irruentibus Gothis, necessitate compulsi, uti nova sibi extollerent tecta, in sacris Severinianis lypsanis inquirendis tum fuerunt intenti. Hi, ubi haereditatem tam opulentam die XXVI. aprilis prospexere, ex ea decoris plurimum redivivae urbi obvenire posse non dubitarunt, si ei nomen a Severino mutuatum dedissent, et, quod memorandum hoc loco venit, si eum caelitem bea-

tum in patronum cooptassent. Alii tum plura de virtutibus ejus scripsere: alii sententias in officium peculiare digesserunt: de die XXVI. aprilis tanquam auspicatissimo legem tulere. Hinc regio picentinae provinciae non fuit ulla, ex qua non publice ad ejus tumulum venerint gratulatum: cives festos dies agebant: mutum erat forum, elinguis curia. Sic palam cives omni aevo profitebantur, et adhuc profitentur Severini gloriam cum reipublicae gloria esse conjunctam. Sic cuncta ex diaecesi in ecclesiam convocantur omnes, qui urbem salvam volunt. Restat, ut dicamus, diei XV. maii tribuere honorem secundae inventionis consuevisse majores.

Ubi de Barbaris post annum millesimum triumpharunt Itali, pro avita religione in Sanctos praesertim titulares instauranda fuerunt toti. Tum sententiae de moribus restituendis, tum leges rogatae, tum donaris passim statuta, quae etiam in Severinum rata manserunt. Sed tacitae, et fractae civitates visae sunt quando furtim sublata de urbe in urbem Sanctorum corpora etiam a viris principibus ex more temporis traducebantur; quasi sine eis Italorum respublicae stare non possent. Quare audito a

civibus adventu in Italiam Henrici VI. qui Ænobarbo patre truculentior sacras aedes per sacrilegium expilabat, qui mortalibus, immortalibusque invisus ultra Alpes Sanctorum exuvias Friderici exemplo mittebat, quique tandem Pontificis ditionem immaniter vastabat, quasi de proditione oppidi civibus nuntiatum esset, lamentis, atque ploratu omnia personabant. Effusi ex aedibus cives, et circumdantes Severini ecclesiam voce perpetua sunt contestati, vivere se non posse sine eo, aut ejus injuriam aliquam dissimulare. In tanta igitur rerum sacrarum trepidatione primi ex Clero, ut parcerent sanguini, et Severini lypsana e furtu defenderent, ea per tenebras eodem templo maximo, in quo publice venerabantur, occultum ad locum cum titulo a Cancellotto relato deduxerunt. Sed labentibus saeculis coelum ipsum propemodum pugnavit, ut anno 1576. die XV. maii, uti habemus in synodo Pieragostini, Severini exuviae rursus detegerentur. Ovidius Paulinus ab Amatrice a vice sacra Episcopi Camerinensis, qui legationem apostolicam apud Etruscos gerebat, ordines ecclesiasticorum omnes, praefectus, magistratus, veluti supplici et instructo agmine tunc eo ad-

ventarunt. Conticebant interea tribunalia, deserta auditoria, officinae clausae erant, haud secus atque anni solemnissimis diebus. Subin ipse Binarinius Episcopus die XXV. junii ejusdem anni Severini partes amplexus ad instaurandum ejus honorem ardentius commotus est. Quare sententiam ipse tulit, ut exuviae quantocius in aram principem reportarentur, novas inter thecas solemni cultu reponendae. Quod qua pompa, et celebritate die XXI. octobris anni mox relati sit factum, ex eo licet aestimare quod hic triumphus priori illi secundae inventionis multum praecelleret. Nihil sol inter nos vidit illustrius, eritque istud patriae religionis perpetuum monumentum. Quae facies, quis splendor oppidi non capientis sese prae laetitia! Omnia multitudine facum ardere visa sunt: Episcopus, sacerdotes, monachorum caetus, decurionum cohors, aulaque universa accesserunt. Hinc juvenum chorus, inde senum qui Severianas laudes ferebant carmine. Ita sacris cum lypsanis processum in oppidum: ita triumphali pompa in ecclesiam inter salutationes reducta, et venerata sunt ossa, Leone Ugolinio priore templi principis exorante, ut in urnam lapideam ab Episcopo sub ara maxima,

uti habemus in synodo Pieragostini, integerentur, Antonio Amatutio consule, Durante Massarellio priore, Joanne Baptista Montalbano praetore, aliisque a Severino opem civibus inter lacrymas expostulantibus. Nec mirum, si hac de re homines exultarunt, de qua Gregorius XIII. cum literis Tusculi obsignatis anno 1576. erat laetatus, si Binarinius anno 1578, aram praedictam pompa honestissima inauguravit, sique tandem cives edixerunt, ut dies XV. aevo extento auspicatus esset in oppido, utque Marcus Antonius Nutius, Æneas Cioccettus eques, et Simon Servantius ad sacram Severianam aedem excubarent, donec ejus exuviae latuissent. Haec pace eorum sint dicta, qui Severini obitum evenisse scripserunt aut die XXVI. aprilis, aut XV. maii. Nos inconcussa auctoritate traditionis ecclesiae septempedanae innixi emortualem ejus diem ad VIII. januarii cum antiquis martyrologiis amandandum putamus, etsi eum ab humanis desiisse nonnulli scribant V. kal. majas. Quid sibi, ait Mazzochius, hoc in negotio non licere passi sunt librariorum semidocti? Nunc de anno emortuali instituendus est sermo.

Fuerunt nonnulli, qui hac de veritate

investiganda, de inventis rebus stabiliendis, et de omni contradicentibus occasione praeripienda invicem compugnarunt. Haec considerans saepe conticui: attamen volui et pauca referre, quae pro modulo nostro controversiam exsolverent. Nihil de anno emortuali in antiquioribus actis habemus, et ne ipsa quidem marmora a temporum injuria reliqua nobis facta fuerunt. Tamen si genuina forent, quae per Lubinium, Roccam, Ricciolium, Jacobillium, aliosque traduntur, illud esset statuendum Severinum Septempedanam cathedram vacuam fecisse anno 550. Imo id evenisse ultra annum 552. scripsit Lilius hanc in sententiam adductus ex illa Severiana scheda, quam sine ulla temporis nota hodiedum vidimus ad posteros commendatam. Multa sane testantur, apud Septempedam Feroniae templum fuisse, a quo ejus dabantur oracula. Illud solemnibus de more habitis caeremoniis antiquitus esse expiatum, ac Deo in divi Laurentii honorem inauguratum fuisse, alio loco diximus. An vero in illud Severinus divae Philumenae exuvias ultra annum 552. inferre potuisset nec ne, abunde docet Sollerius. Quod vero ad patrios scriptores attinet, sic repono. Ex iis, quae

per Franchium scripta esse narrantur, illud assequimur, Severinum anno 540. ad caelum advolasse; Septempedanae infulae eum defuisse anno 543. propugnat Cancellottus, cui Turchius pro viribus adhaeeret: nos autem Severini obitum ad annum 545. amandabimus.

Laetandum sane, quod in tam vasta rei literariae clade, quae non solum tot egregia veterum monumenta, verum etiam innumeros scriptores immortali memoria dignos, totos absorbuit; ex iis tamen, quae nobis nescio quis casus superesse voluit, pro certo habeamus, *die Dominico* Severinum ex hac vita migrasse. Traditio ipsa ecclesiae Septempedanae in causa fuit, quae eruditis viris persuasit, ut non ducerent operae pretium Franchii opinionem admittere, eo quia *alias dicendum esset* cum Bollandianis *Severinum ordinatum fuisse, dum pro S. Sylverio exulante pontificatum administrabat Vigilius*, *eo quia*, ut subdunt ipsi Bollandiani, *oporteret*, Severinum *exiguo omnino tempore vixisse.* Et animo discruciamur, dum publicitus omnium manibus evolvi videmus scripta Joannis Baptistae Cancellotti. Is acer in retinendo anno 543., hoc certamen cum Turchio ita suscepisse videtur, ut ambos

rationibus pares in eodem anno firmando similis contentionis palma decorarit, antiquiori gloria vicerit Cancellottus. Quare eximius ecclesiae Camerinensis Historiographus, Severinum obiisse scripsit VI. Kal. maii. Gravis ipse est, et late patet oratio, quae argumentis curatur ex actis depromptis, ex geometrico calculo ad id emenso, ut sole clarius is ostenderet diem ultimo allatum *die Dominico* incurrisse sub anno 543. Multa praetereo, nec sane persequi conor omnia *in Camerino sacro* expressa, et qui his contentus non est, adire Turchium poterit. Miramur tantum, quod ipse non viderit quanto pondere suffarcinatus exierit de exscriptorum calamo dies ille *VI. Kal. maii*; quod primam in eo Severini corporis inventionem ante Adonis aevum secutam non agnoverit; quodque tandem nudato gladio ultra fines constantissimae traditionis nostrae excurrerit. Quamquam quid loquor, si hac de re extat proditum literis, aeternaeque consignatum memoriae apud Colucium praeclarum illius Rogerii Josephi Boscovich testimonium, qui, ut de Vinicio dixit Augustus, ingenium in numerato habuit, quique praesertim mathematicis doctrinis universa Europa praefulsit? Is

in geometrica demonstratione reliquit, annum 545. diem Dominicum hominibus retulisse sub die VIII. januarii : et nos in eodem anno, et die eodem cum ecclesia nostra Severini obitum evenisse putamus. Certe hac in re palmam universae hominum consensioni tribuimus, eamque historicis rationibus cohonestabimus.

Jam Ravennam, Gothorum regni caput, Vitigemque cum ejus conjuge Belisarius in suam redegerat potestatem; jam Gothi effusis votis regnum Belisario detulerant, quod ille constanti erga Principem suum fide abnuerat; jam Gothorum fortuna omnino ruisset, nisi novum bellum, Persis in Romanorum fines intentantibus, Belisarium ex Italia imperator revocasset, qui anno 540. Vitigem Constantinopolim abduxit. Amoto Belisario, Totila rem gothicam propemodum deploratam mirabili fortitudine, et prudentia erexit. Statim enim romanos acie victos in fugam compulit, Romam, Neapolim, Samnium, Campaniam, et quascumque urbes, et regiones Belisarius suum in jus redegerat, recuperavit. Ab anno 540. ad annum 544. politicum Picentum statum ab eo perturbatum fuisse constat: nul-

lum tamen Picentum excidium per haec tempora evenisse novimus. Sed annus 545. quam calamitosus extiterit provinciae nostrae, injucundum sane esset referre. Belisarius, Byzantium ex Perside revocatus, et in Italiam navigans, Romam pervenerat. Ast impar viribus eam haud ingressus, Æmiliam petierat. Renovato interim Romanorum exercitu, urbes passim recipiebat: imo sibi cum valida manu Totilam occurrentem, collatis signis, superasset, nisi ipse Gothorum rex veritus obsidionis subire incommoda ex Picentum finibus praepropero itinere discessisset, ut periclitanti Romae esset auxilio. Eo bello Picentinae urbes fere universae ad extremam vastitatem redactae perhibentur. Firmum per deditionem fuit acceptum, Septempeda Gothorum flamma miserrime absumpta. Et licet ad tanti excidii sensum civium animus quodammodo torpuisset: tamen Severini affectu commota civitas ejus corpus in templo maximo inter gemitus praetexit. Verum ubi gothicum regnum in Italia cives extinctum videre, de nova Septempeda erigenda sententiam rogarunt ipsi. Hinc, quasi testem placati Numinis in summo Montis nigri vertice gladium vagina condentem cives Severinum

conspexissent, redivivae urbi ejus nomen dedere; et cum sacris Severini reliquiis, die XXVI. Aprilis inventis et translatis anno 590. die tertia Novembris, Deus largitate certasse visus est.

Sunt qui scribunt, civium multitudinem in sacram Marianam aedem, quae et nunc *Plebis Septempedae* nuncupatur et renovata visitur, convenisse, ut lacrymantes suam erga Severinum benevolentiam declamarent: ut inter gratulationes Severini corpus plaustro imponendum divinitus moniti censerent omnes; nam plerique Severini numine Marianam ecclesiam Gothorum igne adsertam, unamque ejus, et patriae renascentis causam esse vociferabantur. Grates dein actas publicas fuisse tradunt Severino, decretumque, ut qui Ecclesiam cum imperio obtinerent, qui cives primores essent, currum juvencis duobus, jugum nondum expertis, commissum sequerentur: ut templum oppidumque eo assurgeret in loco, in quo subsisterent tauri: utque tandem unanimi consensu, et laetitiae significatione perpetua ejus in urbem tutela impetraretur. Quo facto translatio ipsa ea fuit, ut a congestis urbis ruderibus usque ad Montem nigrum agmen prodi-

giorum conspiceretur. Non enim naturae res fuit ulla, ex qua non publice ad ipsum aliquid prodierit laudatum. Quid dicam vociferationes hominum, ob immotas Potentiae fluminis undas? Quid flores undique erumpentes, cum dies esset *V. idus Novembris?* Itinere toto arbores ipsae festum diem agere, comparente eo, videbantur. Certe unus ille dies ei quidem instar triumphi fuit, cum cives ipse vidit promulgantes aedem sacram extollendam, ubi siccis vestigiis amnem ii erant progressi. In hac rerum commotione, quando tauri in montis ascensu iterum quievere, plebs instituit renovari sententiam, et dati sunt plausus ad divi Marci aediculam eo in situ excitandam. Sed laetitiae significationes ardentius increverunt, cum ad clivi summum *juvencos* respexere sacrum Severianum thesaurum deponentes. Quamvis venerandae antiquitati concedam, et admiranda summopere quisque haec omnia existimet, quae per Franchium, Bollandum, Ughellium, Pamphilum, Jacobillium, Cancellottum, et Pieragostinum fuse narrantur; majus tamen aliquid, et multo probatius hisce in rebus reperio. Ea enim Severini studia experta fuit aevo omni civitas rediviva, ut ei Gothorum

aerumna non modo non propulsanda, sed etiam emenda fuisse videatur. Ita *Montis Nigri* jugum domibus fuit auctum: ita unius caelitis Beati causa loca pene invia in urbem decursu annorum mutata. Neque licet dubitare, quin apud Deum ibi et nunc agat oratorem in cives.

Primum sibi locum dari hic postulat Lilius, qui relatam Marianam ecclesiam, cui Plebis nomen est, anno 944. ex auctoritate Eudi Episcopi Camerinensis aedificatam fuisse scribit. Quae autem ultro ei dederit idem Antistes, docent Muratorius, et Turchius. Sed quum ea, quae ad ejus locum spectant, magna animorum contentione agitata sint, nequaquam patiar ullo me amoris studio abripi, ut templum illud vel statuam in sacra Paulanorum aede, vel in Dominicialium caenobio: verum, quod religio esset omittere, ea proferam tantum, quae perperam fuisse probent Lilii narrationem.

Plurimus erat in prolapsam Septempedam civium amor, et erat sane grati animi aliquam de ea ob Severini exuvias adsertas memoriam serbare. Et quamvis longa annorum series eorum scripta insumpserit, qui ei miserando fato praesentes fuerunt, tamen per quam vetusta traditio docet, templum illud

quod centies instauratum adhuc perdurat, et cui Marianae Plebis nomen est, episcopalem fuisse aedem, in qua Severini corpus clanculo jacuit. Quantum igitur civium interesset illud sibi auspicatum reddere, satis per se quisque intelligit. Ad illud viam suam deflexisse majores, et intrantes ecclesiam nec aras, nec murum, nec pavimentum ob rei memoriam insalutatum reliquisse, testantur Franchius, Bollandiani, Cancellottus, et Cavalerius. Si vero a me efflagitas, quo potissimum tempore ista aedes instaurata fuerit, ajo id post annum 1200. evenisse, ut cuique intelligenti patet ex variis accessionibus diversis temporibus in ea factis. Cave tamen, ne quid cum Lilio contra temporum consuetudinem, ac acceptam a majoribus traditionem vendites. Si quis non aediculam aliquam, sed ipsum templum princeps de loco movere ausus esset, nonne eum omnes uno ore testibus, ac tabulis productis refutassent? Quare aedes sacra Plebis titulo insignita, licet innovata, est satis idoneum superioris traditionis indicium pro antiquo Septempedanorum episcopatu firmando. Huc etiam spectat, quod in libris reformationum me legisse memini, nempe anno 1566.

actum fuisse in publico municipum conventu super ejusdem aedificii forma iterum reparanda, ut istud singularum aetatum monumentum prae civium oculis semper assurgeret. Ad id referenda est ea, quae de hoc templo occurrit, antiqua episcoporum solicitudo, quam literis consignatam habemus. Novimus enim per Angelum Maidalchinum Episcopum nova aedem accessione locupletatam fuisse, et per Dyonisium Pieragostinum Antistitem ejus cultum mirifice adauctum. Quibus vero ecclesiae thesauris honestasset prae caeteris Clemens XII., explorata omnino res est. Sed satis huic templo indulsimus ad ejus originem investigandam. Restat, ut de Eudi ecclesia nonnulla edisseramus.

In castello qui dicitur ad S. Severinum super flumen Potentiae et super saxum ipsius fluminis prope viam publicam aliud Marianum templum felici omine ab Eudo constitutum fuisse, ex iis, quae praefati sumus, satis constat. Miretur fortasse quispiam quomodo fieri potuerit, ut quo loco est templum illud antiquissimum *Plebis* appellatum, et in Piceni historiis longe celeberrimum, eodem etiam juxta Lilium excitaret Eudo Episcopus Came-

rinensis aedem, quae, nomen nacta est S. Mariae ad *castrum S. Severini*. Cujus quidem appellationis vetustissimum, quod viderim, monumentum spectat ad annum 944. uti desuper. Ecclesiam istam nunquam super antiquae urbis ruderibus, sed semper in castri subjecta planitie stetisse, nemo dubitat. An vero haec ea fuerit, quae sequioribus saeculis locum dedit aut Paulanorum, aut Dominicialium templo, neque improbare, neque adfirmare in tanta scriptorum contentione audeam. Nullum tamen templum, si demas illud *S. Mariae de Mercato*, forte in urbe invenies, quod magna polleat antiquitate, et in Deiparae honorem majores nostri excitaverint. Si antiquissimum, quod supersit monumentum, a me exposcis, statuo illud haberi in satis pervagato Eudi diplomate, quod superius appellavimus. In eo habetur, sitam ecclesiam *supra saxum fluminis Potentiae*. Quum vero haec *in S. Severini castro*, et supra saxum revera constituta esset, hinc porro Eudi templum minime est confundendum cum *Plebis* aede, quae non jacet in castro, nec supra fluminis saxum assurgit, et a Gregorio IX. fuit dicta *ecclesia Septempedae*. Cave tandem, ne te in

errorem inducat idem Lilius, a quo in Severini sepulcro commentitia multa adnotata invenies. Est in concesso apud omnes, qui de admiranda Severini et Victorini sanctitate scripserunt, eos, pro Christo haud modicis facultatibus despectis, e civium consortio in eremum *prope Septempedam* aufugisse. Quis autem hic locus esset, non prodit ex actis: sed si recte cum melioris notae scriptoribus video, ille equidem fuit, qui in *Montis Nigri* vertice alterum sepulcrum praebuit Severino. Quod si scrupulus tibi insit, vide quae dicta sunt a Colucio: et quonam pacto Lilius, ac Turchius in contrariam sententiam lapsi sint, plane scies. Sicut laudabile est, a vera sententia non amoveri; ita culpabile, persistere in falsa: quam nunquam tenere, prima laus est, secunda mutare. Nunc caetera de Severini cultu persequamur.

Domos olim, et funda venundabant majores, et thesauros sibi in coelo reponentes distribuenda in usus Clericorum pretia Severino offerebant: de militia, de negotio, de artificio ipsi reddebant decimas, et infinitus sane essem, si singula percensere vellem numerando. Quae omnia ostendunt vix ulli nobi-

liorum ecclesiarum Severianam aedem secundam fuisse inter Picentes vel antiquitate, vel jurisdictione, vel dignitate. Hanc quidem patrimonii opulentiam, non solum contra obnitentes Italiae factiones Pontifices romani sartam tectam servarunt; verum etiam Imperatores, ac Reges in illud jura nova traduxerunt, eaque firma centies esse sanxerunt, uti in capite de Canonicorum collegio vidimus. Mitto illud totius templi principis aedificium, quod Ugo Episcopus Camerinensis anno 1061. in Severini honorem innovandum duxit: mitto novas sequioribus saeculis accessiones in templo factas, et picturato opere Gentilis e Fabriano eleganter exornatas, quod ut iret pessum cum Amico Riccio equite doctissimo vehementer indoleo. Dicam, plura templa, et sacerdotia plura ob ostensa miracula domi, forisque Severino esse excitata, atque decreta. Sacram ejus aedem, *Neuportanae Abbatiae* mancipatam, antiquitus fuisse in Anconetanorum agro, ne in dubium quidem revocari posse videtur, de qua apud Ughellium videndae sunt literae ab Alexandro III. anno 1177., a Lucio III. anno 1183., et ab Eugenio IV. exaratae. Recinetenses ejus in laudem sacerdotium

jussisse eo loci, in quo erat ecclesia divae Mariae Montismurelli, mihi datum fuit legere apud Calcagnum. Severini titulo insignitum per omnes aetates fuisse templum in Fabrianensium latifundiis juxta *Collem Giglionum*, ex antiquis Kalendariis Camerinensibus eruitur. Eam pariter apud Rapagnanenses in Firmana Dioecesi constitutam vel inter vetustissimas adnumerandam esse, monumenta longe plura in tabulario nostro apertissime suadent. Antiquissimum autem hunc cultum, qui alias quoque Italorum urbes et oppida peragravit, ex ipsa sacri corporis possessione inter nos originem duxisse, nemo sanus inficiabitur. A vetustioribus saeculis ejusmodi cultum repetendum esse apud Spellanos in Umbria, scribit Dondola. An vero ea, quae de Rubeno Episcopo, et Severino circumferuntur, sint explorata necne, judicium esto apud eruditos. Omnino sincera esse pervelim! Ex diplomate Honorii III. lato anno 1224. nosse datur in Narniensi civitate suum fuisse Severino templum. Docent Bollandiani, et Jacobillus Episcopi nostri cultum semper apud Sellanenses in valle Spoletana vim antiquitatis vel maximam habuisse. Nec silentio praetereundum,

longe ante annum 1250. apud Montelparem Severini templum extitisse, uti notant Colucius, et Riccius in opere, cui titulus — *Arti ed artisti della Marca d' Ancona* —

Saeculo XII. jus romanum post diuturnum exilium, oblivionemque in Italiam rediisse, tenent periti. Brevi Italorum studia ad illius interpretationem, ac usum continuo exarsere, et brevi deletis Longobardorum legibus, et pristinae servitutis vestigiis, ea *Statutorum* copia erupit, quae non parum Italicarum urbium splendori contulit. Tunc leges illae municipales faestivissimae etiam inter nostros prodiere, quae sequioribus saeculis innovatae verendum magis Severinum reddidere. Nec est, cur quispiam loci prolixitatem causetur in legendo donaria, ludos, et festa desuper relata; quando ego, qui transcribendi laborem aegerrime mihi sumo, prae deliciis, quibus scatet totus, multo etiam prolixiorem voluissem.

Nihil grandius, praecellentius nihil video addi posse ad Severini commendationem, nec ideo miror, quid sculptura significet in vetustiori septempedanorum sigillo impressa, quam laeto animo vidi penes eruditissimum civem Josephum Ranaldium. Pauli I. Romani Ponti-

ficis, Caroli Magni Regis Franciae, et Augusti *bullatas* literas recolunt se vidisse eruditi. In primoribus Italiae urbibus privilegia plura Pontificum, et Imperatorum vidi integra et ego plumbeis, aut aureis signata bullis. Marchiones, Episcopos, Ecclesias quasque olim sigilla habuisse non me latet, etsi passim antiquas Episcoporum praesertim subscriptiones viderim loco signi cum atramento per circuitum factas, in quo aliquid scribebatur. Urbes vero Italiae, antequam reipublicae formam ipsae inducerent, et a superiorum temporum cladibus caput attollerent, sigillo in actis haud utebantur. Antiquiora sunt illa, quae imaginem praeseferunt aut Patroni urbis praesentissimi, aut frontem alicujus vel ecclesiae, vel aedis cum versu plerumque Leonino. In illo Ferrariensium urbis S. Georgii effigies eminebat, et carmen — *Ferrarim cordi teneas o Sancte Georgi* —. Veronenses, uti tradit Maffaejus, exhibebant in signo palatium munitissimum cum versu — *Est justi latrix urbs haec et laudis amatrix* —. Idipsum gessisse Aquilejenses, aliosque reperio in thesauro Muselliano *apud Muratorium*. Septempedanos vero habuisse ecclesiam S. Severini cum verbis — *S. protege*

populum Severine tuum —, explorata omnino res est. Totum templi principis nostri aedificium, etsi, ut alio loco innuimus, non unius aetatis sit opus: tamen frontem illam, quae huc usque manet, et in signo antiquiori visitur impressa cum janua, aeque ac fenestra illa, quae nunc occlusa rosae figuram refert, ad saeculi XII. aetatem amandandam puto. Ita docet signum illud primum, quod sequioribus annis abnormi architecturae symmetria suffarcinatum prodiit, et ansam dedit quibusdam contra temporum, et historiae disciplinam mira quidem confingendi. Sunt, qui urbium italicarum emblemata Leonem, Cervum, Puellam auratam cum Gallo albo in manu, Equum, Griffonem, Vulpem praeseferentia ad posteriorem temporis notam rejicienda scribunt: nam ob frequentes in Palaestinam expeditiones sub saeculo XII. factas urbes, Episcopi, Principes, Laici in signis aut Crux, aut Deiparae, aut alicujus rei sacrae vexillum usurpabant.

Illud certum quoque est jam ab eodem saeculo XII. in Pisana, Veneta, Genuensi, et Amalphitana republica viros tales floruisse, ut proinde merito dici possit, illorum praesi-

dio, quicquid artium, industriaeque quodammodo fuit, veluti e naufragio servatum fuisse, imo in Italiam ex Oriente mirifice invectum. Tempus brevi secum divitias advexit. Italis requiem non attulerunt noctes, non dies hilaris fuit, non sol jucundus sine nundinatione. Hinc Artium Consules creati, ut de re forensi jus dicerent: hinc leges multae rogatae seu de instaurandis, seu de edicendis nundinis praesertim in festo Sancti Tutelaris: hinc occasiones plurimae de parandis divitiis in arte *Follisellorum*, *Bixellorum*. Tum *textores innumeri*, *vel textrices panni lanae*, *lini*, *bindae*, *setae*, *vel zendalis* Mutinae, Bononiae, Ferrariae, Mediolani, Florentiae, totaque Italia extiterunt. Dum ita urbes universae rei familiaris augendae laude excellebant, eodem nomine et cives nostri eas juxta vires aequiparare conabantur. Quare eosdem magistratus, easdem nundinas, et artes jusserunt; rem domesticam industria, et solertia sua ita auxere, quasi aliud colere nescirent, eam semper Severini ope fulcientes. Si monumenta a me expostulas, ajo haberi illa loculentissima in *municipali statuto*: uti nemini dubium esse potest, quin in prisca

divi Josephi aede retroactis temporibus *Bixelli* nostri praedivitem etiam aram Severino constituissent.

Severini effigiem pro pietate semper habuisse majores, nos Grillusianae aedis sacrarium ingredientes aspicimus in tabula picta, cui nomen est Allegretti Nuccii e Fabriano. Hujus lineas non minus quam colores solerter imitari curaverat Gentiles e Fabriano. Hic diu apud nostros moratus, in pervetusti templi principis parietibus Severini et Victorini historiam expresserat, quam funestissimus casus nobis insumpsit, et neminem praeterit, quod hac de re in Gentilis elogio, et in Picentum artium historia scripserit dolentissime Amicus Riccius eques, qui ingenium suum confert praeclarissimum ad provinciae nostrae gloriam illustrandam. Sed opus non est, ut recrudescat dolor, quando inibi adhuc visitur tabula, in qua Nicolaus e Fulgineo ita conatus fuit effingere Severinum, et Victorinum, ut ipse arti suae decorem intulerit. Est insuper tabula in divae Mariae Gratiarum, egregie picta de Severino; quam seculo XV. effinxit Ludovicus Urbanus, ut refert Riccius. Summis vero laboribus, summisque impendiis est factum, ut in cryptis

Sacrae Laurentianae aedis illa Severini effigies detegeretur, quam vidimus cum nomine, quamque initio ejusdem saeculi XV. Laurentius, et Jacobus cives nostri pinxerunt. Ii Urbinum a Vidone Antonio Duce postmodum acciti nomen satis insigne sibi in effingendis S. Joannis Baptistae fastis pararunt, uti monent Pungileonius in elogio Joannis Santii, et Riccius in opere ultimo loco laudato. Caeterum nemo ex nostris est tam indiligens ut nesciat; nemo tam invidus, ut non commendet, quod ipsis in cryptis, ut pristino nitori restaurarentur, vir munificus Severinus Servantius Collius comes praestitit. (1) Is una cum Monachis Cister-

---

(1) Anastasius Tacchius Canonicus anno 1838 Maceratae italicum carmen edidit, in quo haec elegantissime lusit. Nos illud hic recudimus.

Per le provvide cure — Degli incliti cisterciensi — E per l'animo generoso — Del Conte Severino Servanzi-Collio — Restaurata e dischiusa — La pervetusta Catacomba di S. Lorenzo — In Sanseverino — Cotanto nobile divisamento — Volle in metrici modi rimeritare — Il Canonico Anastasio Tacchi.

Un subitaneo fremito percote — Di Cristo il tempio e 'n cupo suon rimbomba; — Dalla dischiusa tomba — Vipereo il crin, di fiamme agli occhi rote, — In man sanguineo scettro, — Gridando esce uno spettro: — Paventi ognun

ciensibus cogitationes suas omnes ad vetustissimum istud ecclesiae nostrae monumentum di-

---

l'alto poter di Dite, — Questa, è Questa mia sede: olà fuggite. Vittime e voti nell' ercinia selva — Sotto rovere annosa il Bardo offria: — A' suoi carmi venia — Feronia a venerar lieta ogni belva; — Me ne' muscosi specchi — Chiamar gli Angli e gli Svechi; — Sostò l'onde Potenza, e presso al lito — Ara mi diede sacerdote e rito. Ma che sei congiurata ira d' averno — Dinanzi a Lui che all'universo impera? — Dalla più eccelsa spera — Ove a fianco del Nume ha seggio eterno, — D' Amor sull' auree penne — Raggiante Fè quì venne: — Del cenobita all'ispirate voci — Quì dell' orgie ammutir le grida atroci. E straziata da guerreschi artigli — Poichè all' ombra di pace alfin riposa — Settempeda festosa — Del Grande di Cassin qui accolse i Figli: — Lungi i terreni affetti — Di Dio fervidi i petti — Per voi rifulge il Tempio, ed or si vede — Nobile varco a sotterranea sede. Mentre il devoto quì discende, e tardo — Ormeggiar gode per le vie secrete, — Alla pinta parete — Volge ed affissa avidamente il guardo: — L' Eroe costante all' ira — Del crudo Egèa qui mira, — E ancor sembra che dica, o sacro legno! — Tu mi sei scala al sempiterno regno. Ecco del santo Amor l' Ancella e Sposa — Atteggiata a pietade, in manto aurato: — Il suo divin Portato — Soavemente in grembo a Lei riposa. — Di Siracusa è quella — L'intrepida Donzella; — Pura colomba tra le fiamme rise, — Il bel collo la spada alfin recise. Qui pur Te veggio o Severino, o invitto — Pastor; oh forse in nordica tempesta — La tua stanza fu questa: — Raggio a noi scenda nel mortal tra-

rexit, quod dignum semper habebunt antiquarii, ut prae caeteris Picentum provinciae singulari quodam cum honore intueatur. Huic templo multa divi Severini memoria affigitur, uti tradunt Lilius, aliique. In eo, serie nunquam interrupta etiam per saecula ferrea, illa Benedictinorum familia viguit, quae gloria fuit et decus rei nostrae universae. Eorum codices per annos plures familiares habui, et ad opus hoc meum perficiendum veluti duces, ac magistros adhibui. Qua ipsa de causa, et ipsis

---

gitto — Di tua benigna luce! — Te difensor te duce — Serena al cielo leverem la fronte — Di tanto mar fra le procelle e l' onte. Monumenti rapiti al tempo edace — Stanno in esempio dell' età superba; — Sol fra l'arena e l'erba — L'avel del giusto inonorato giace. — Dell' erto monte in cima — Chi sua virtù sublima — Abbiasi i marmi e della Musa il canto — E non chi seminò ruine e pianto. O teschi, ammonticchiate ossa, sorgete, — Or degno asilo amica man v' appresta; — Vieni, o mortal, t' arresta — Che d' auro e fasto in cuor cotanta hai sete: — Vè come tutto solve — E inesorata involve — Nell' obblio quella che la falce abbassa — Sovra i grandi e la plebe, e miete e passa. Opra immortal ch' a posteri nepoti — La santa pietà additerà degli avi: — Mentre sol d' ozio gravi — Cotanti nomi sfumeranno ignoti, — Voi dalla patria istoria — In cifre d' or memoria — Avrete, o Saggi, e parleran suoi fasti — Di Te, Signor, che sì bell' opra ajtasti.

de cryptis nuperrime instauratis ad Severini cultum praesertim augendum ingratus sane forem si per me non extaret monumentum duplicis gratiae istius, et tale quidem, quod ex ipsismet beneficiis esset petitum. Ita potius Cisterciensibus Monachis, Benedictinae genti merito sublectis, ita Comiti laudato restituisse propria videbor, quam obtulisse aliena, in commentario, ubi pro viribus ipsius cryptae formam, picturas aliaque memoratu digna (1)

---

(1) Binas inscriptionis hic proferam, quas cives ad cryptas properantes legunt, quasque ego dictavi.

I.

URBANO . CISTERCIENSIUM . COLLEGIO

OB . ARAM . POSITAM

PAVIMENTUM . AB . INCHOATO . REFECTUM

SUBSTRUCTIONES . AMOTAS

AQUAM . DILABANTEM . MONTIBUS . COLLECTAM

ET . NOVUM . IN AGGEREM . PERDUCTAM

CRYPTAS . AD . CULTUM PRISTINUM . REVOCATAS

ANNO . M. . DCCC. . XXXVIII.

CIVES

BONA . CUNCTA . PRECAMINOR

MAURITIO . PONGELLIO . ABB.	ROBERTO . NICOLINIO
AELREDO . BALDINIO . VIC. . ABB.	RAMBERTO . STRAMUCCIO
THEODOBERTO . RICCIO	JOANNE . MERNAO

CISTERCIENSIBUS . REM . CURANTIBUS

illustrabo. At si vel istud abesset, alia suppetunt, quae Episcopi nostri nomen exornant.

Inter Virginem, aliosque Coelites Severini visitur imago ea in tabula, quam initio seculi XVI. mirifice in sacra Dominicianorum aede pinxit Bernardinus e Perusia. Etsi iste a Penturicchio longe diversus existimetur a viro omnigena doctrinarum peritia clarissimo Joanne Baptista Vermigliolio equite in accuratis et numeris omnibus absolutis Bernardini Penturicchii memoriis, quas publico artium sororum bono nuperrime evulgavit; semper tamen erit alterum scholae Perusinae lumen pictoribus detectum a Josepho Ranaldio cive nostro anti-

---

II.

SEVERINO . SERVANTIO . COLLIO . COMITI
QUI
A . TEMPLO . AD CRYPTAS . ITER . APERUIT
CREPIDINE . FERREA . SEPSIT
AEDEM . LUCE . JUVIT . INTRORSUM
DONARIIS . AUXIT
SQUALLORE . EXPEDIVIT
IMPENDIO . SUO
AD . MEMORIAM . POSTERITATI . PROROGANDAM
CISTERCIENSES
POSUERUNT
ANNO . M. . DCCC. . XXXVIII.

quitatis vestigatore solertissimo. Parem Severini formam habemus in tabula, quam venerati sunt cives in vetustissima divi Marci aedicula, quamque modo asservatam vidimus penes Venantium Bigiolium inter Picentum sculptores clarum. Hanc posteritati commendatam volumus tanquam opus Laurentii II. Severinatis, qui saeculo XVI. vixit. Quod vero in translatione Severiani corporis inerat mirandi, veluti patriae monumentum obtulit in corio Julius Lazzarellus saeculo XVII. ineunte. Mox in Severini, et Victorini gesta Cyprianus Divinius oculos intendit, eaque in telas descriptas anno 1667. exhibuit, quas et nunc in prisco pontificali templo intuemur. Nec a civibus maleficium pro beneficio artificem illum retulisse autumo, qui circa saeculum XV. Septempedae excidium, et Severini fasta quatuor in tabulis ligneis ex toto veluti prominenti reliquit. Prostat in aedibus nobilis et benemeriti civis Cäyetani Caccialupii Alovisii vexilliferi nostri.

Ubi Severini animam Deus sibi sumpsit, ejus corpus nobis quodammodo largitus est, ut esset perpetuae virtutis monumentum, et bonorum thesaurus pretiosissimus. Sane cives tulerunt centies ad ejus tumulum vota, cen-

ties de tumulo ipsi votorum retulerunt gaudia. Pulsarunt hi precibus, respondit ille virtutibus. Victa fuerunt per quotidiana Severini beneficia alumnae urbis obsequia. Et si peregrinas etiam palmas, extraneasque victorias summa nos oportet sedulitate venerari, ut quod nostris non includitur sepulcris, sit commune suffragiis: nos impensius convenit in Patroni studiosissimi celebritate fervere cura, cui multiplicem debet religio devotionem, ecclesia honorem, patria charitatem. Cursim igitur videamus, quomodo difficillimis temporibus nobis in adjutorium venit Severinus, ut et nos de salute nostra gaudeamus, et ipse de victoria plena glorietur.

Bellatorum Trusciae Comitum arma cives nostri, ut antiquiora sileamus, viderant initio saeculi XIII. ad maenia istà procedentium ob Trusciae castrum a nostris immaniter eversum. Civium dissentionibus Comites erant fortes: itinera clausa latronibus: maenia obsessa militibus: ordo omnium erat, ordinem non tenere. Boni omnes torpebant communibus belli malis consternati, cum ad Severinum ex corde ipsi se contulerunt, et quibus resistere virtute non poterant, praecibus obviarunt. Et sane rebus

auspicato compositis, militiae cingulum tum Comites, tum cives Severino obtulere, et visi sunt invicem protestari, se amico animo accessisse, uti notat Liiius.

Arma et equi, ferrum acutum et tuba sonans, phalanges hastis inhorrescentes, et scuta choaerentia scutis, conflictus, caedes, gemitus, ululatus civium animam perstinxerant saeculo XV. auctore Brachio duce perusino. Quid non tentatum placando Brachio? Pollicitationes, et blandimenta adhibita, producti cives disertissimi, qui rei invidiam lenirent: sed incassum. Ardorem enim animorum adeo non restinxerant, ut augerent magis. Porro in consternatione extrema, cives ad Templum Severianum progressi, cum ululatu et lacrymis reddi sibi vitam postularunt. Nec sane cunctatus ipse fuit: nam Brachius, aeque ac Varanii, et Melioratus natura elati ac feroces, prodigiorum vi induci facile potuerunt, ut agerent de pace. Ad primum nuncium festivi ignes arserunt: dati plausus innumeri: delectus comitiorum et centuriarum habiti, ut Praetor, civium suffragio salutandus, ad Severini pedes *merum, et mixtum* imperium abjiceret: ejus exuvias publice veneraretur, et

cum donario opem ejus imploraret. At cives Severianam munificentiam nunquam vicerunt; nam quantumcumque ipsi contulissent, plus tamen eis erat reliquum, nec quidquam proprium ipsi dabant, quandoquidem omnia a Severino manabant.

Illud pulcherrimum est censendum, quod Patronus largitionem non oblatae rei pretio, sed dignitate, sed offerentium affectu metitus ipse fuit annis 1426. 1434. 1447., quando Smedutiorum tyrannidem ipse sustulit, et cives omnes honoribus capessendis, omnes reipublicae gubernandae aeque pares iterum fuerunt. Maximo conscripto exercitu, Joannes Maria Varanus anno 1502. in cives magno impetu ferebatur, sed ab indigna captivitate maenia ista Severinus vindicavit, et bonis omnibus tranquillitatem restituit.

Nec ab ea civili perturbatione, quae longe ante annum 1563. nescio quo malo omine erupit, refricanda absterreor, cum ex hujus rei recordatione non minor in Severinum laus sit profectura. Pone tibi ante oculos illam funestam infortuniorum seriem, quae cives obruerunt: clandestinas statis temporibus locisque ad ordinem publicum evertendum coitiones:

impunitatem vitiorum, effraenem agendi licentiam. Serpebat late, manabat latius in dies laethale virus: in primis proceres infecerat, neque urbis curatoribus pepercerat. O patriae universae, et Rovellonae praesertim, Caccialupaeque genti funestum dissidium! Bernardinus Peverotius consul anno 1563. pro viribus egit, ut civium animi ad pacis studia revocarentur. In id negocii Petrus Gentiles Servantius, Doronus Tardolus, et Titus Alovysius ardentius, sed frustra laborarunt. Verum licet infracto pudoris fraeno, licet in summa perturbatione, nondum tamen factiosi cives nacti erant summam licentiam: supererat amovendus Severianae auctoritatis timor, quo impediebantur adhuc, quominus divina omnia et humana miscerent. Et quidem Severino auspice cessatum ab armis, constituta res fuit anno 1564. die XIII. martii in templo maximo. Ibi inter solemnia sacra faedus, Camertum et Fabrianensium sollicitudine, Sermoneta, Vitellio Cardinalibus et Julio Orsino curantibus, Paulo Odescalchio Marchiae praefecto acta obsignante, civibus gestientibus triumphantibus, percussum est.

Humanos intellectus exuperat tristitia a Se-

verino de civium interitu concepta ob vulgarem luem inter nos anno 1591. debacchantem. Equidem tot modis scissi cives haudquaquam in vita erant remansuri, nisi Severinus eos retinuisset. Quando cives terrae quassatione et ruinis semel ac iterum opprimebantur anno 1703., quae plaga lethalis Severini cordi impingebatur! Quando anno 1741. maenia inusitatus concutiebat terraemotus, uti animo Severinus sauciabatur! Quando anno 1799. territi cives eadem de causa, relicta urbe, patenti in agro excubabant, quomodo acerbiores ejus ab oculis veluti lacrymarum rivi fluebant! Quis unquam Pater dilexit filium suum, ut Severinus? Ipse, dum civilibus discordiis implicabatur Italia, ipse, ut cives civium sanguine haud macularentur, curavit. Ipse dum maximam argenti aurique vim ex templorum ornamentis, ex ecclesiarum redditibus, ex nobilium fortunis direptam aut ad suas libidines explendas sibi homines perditissimi congerebant, aut apud exteras gentes ad excitandos ubique motus dissipabant, Severinus ipse sibi servatam voluit statuam illam, ex argento confectam, quam alias diximus adaucto pondere, et forma instauratam fuisse; ipse dum homi-

nes vaferrimi sibi potestatem, et imperium vindicabant, ipse summum dolori nostro lenimentum attulit; ipse tandem omnium bonorum vota excepit, urbemque gratam asseruit (1).

---

(1) Anno 1831. grato erga Severinum animo templum pontificale splendide cives exornarunt, atque in fronte molis temporariae titulum proposuerunt in foro, aeque pietatis et laetitiae publicae testem. Eum scripsit Raphael Servantius comes, cujus peritia in italicis inscriptionibus exarandis multis jamdiu doctorum hominum laude celebratur. En verba.

AL DIVO SEVERINO VESCOVO
PROPIZIATORE APPO DIO DEL POPOLO SETTEMPEDANO
RESO INCOLUME DAI FURORI DELLA DEMOGOGIA.
AL SOMMO GERARCA GREGORIO XVI.
CHE IN UN COL NOME
DEL MAGNO IL GRIDO RINNOVELLÒ
PERCHÈ LA MISTICA NAVE
IN TEMPI QUANTO ALTRI DIFFICILI GOVERNANDO
DI SE FE PIENO IL VOTO DI TUTTO IL MONDO CATTOLICO
PER TALI EVENTI FAUSTI FELICI
LA DEVOTA SANSEVERINO
AL SUO PADRE E PATRONO
MANDA GRAZIE PERPETUE
E ALLA SAPIENZA VERA E FORTEZZA D'ANIMO
DELL'OTTIMO PRINCIPE
MONUMENTO ETERNO CONSACRA
DI COSTANTISSIMA FEDE
NEL XII. GIUGNO DEGLI ANNI MDCCCXXXI.

Exegi Severini laudationem. Quae de ejus in gentem suam universam beneficentia primoribus labiis dixi, ea civibus probatum iri confido: quae vero de ejus historia fusius locutus sum, ea investigandae veritati condonaturos cives esse spero.

§. II.

De Episcopis Septempedanis post Cathedrae instaurationem.

HORATIUS MARTIARIUS natus Vicentiae ex gente in primis nobili, ingenio fuit ardenti et excelso. Institutionem nactus a praestantissimis viris, latinis graecisque munditiis omnibus Mediolani apprime fuit imbutus. Adolescens etiamnum inter oratorum subsellia causas declamavit. Romam dein profectus, nullum doctrinae genus reliquit intactum: nemo fuit sive theologus, sive jurisperitus, quem ipse non evolvisset. Inter Antistites urbanos adlectus a Gregorio XIII., Capitolii res mirifice juvit. Asculanam primum, mox Spoletanam praefecturam obtinuit, usus auxilio Erennii Fortini civis nostri, qui Nuceriae, ac Æsii pro-praetor fuerat. Romam reversus, Leoninae urbis, quam Burgum romanum vocant, magister a Sixto V. fuit dictus; deinde a vice sacra cardinalis Hieronymi Rusticuccii Antistes conclamatus. Non illum eruditio, non judicium, et quidem acre,

non rerum sacrarum peritia defecit. Hisce dum rebus agitabatur vir optimus, ad mitiora animum adjecit, et anno 1586. Septempedanorum Episcopus est dictus. Quam prospere, quamque feliciter ecclesiae nostrae id evenerit, me etiam tacente notissimum est. Triumphum superavit ejus ingressus in urbem ad annum 1587. productus, Fabio Arestio, mox Episcopo Lucerino, possessionem ineunte. Adfuit in provinciali conventu, quem anno primo a metropolitana sede condita Sigismundus Zanettinus Archiepiscopus Firmanorum coegit. Ut pietas majora apud nos sumeret incrementa, Philippianos in aede sacra Luminum honestandos curavit. Extant literae ad eum datae a Philippo Nerio novae sodalitatis auctore. Martiarius inopiam nostram suscepit, quando Xenodochium prope urbem constituit. Ecclesiasticae disciplinae assertor acerrimus scripsit miranda, sive spectes eloquentiam, sive doctrinam, sive pastoris dignitatem. Fere omnia in pauperes contulit anno 1591. omnium calamitosissimo. Canonicorum ordinem auxit, eorumque sacrarium locupletavt. Haec inter caput ejus incanuit, et a Romano Pontifice in episcopatus adjutorem obtinuit Ascanium Sperellum. Anno 1607.

defletus occidit. De eo Marzarius *in historia Vicentina*, et Ughellius *in Italia sacra.*

ASCANIUS SPERELLUS vir fuit nobilitate clarus. Ob ingenii praestantiam cum aliis scientiis, tum vero praecipue eloquentia excelluit. Humanae, divinaeque doctrinae insignibus Perusiae decoratus, pares conditioni suae honores sortitus est. Ubi ad ecclesiam se contulit, omnium votis ad Asisiensem Prioratum fuit assumptus. Ob inculpatae vitae exemplum omnium in se oculos ipse convertit; et principum virorum amicitias est consecutus. Dictus Episcopus Claudiopolensis, et missus a Paulo V., ut Martiarii curas deliniret, vixit inter nos vicaria cum opera, quousque Horatius fuit in humanis. Vim dicendi, quam Romae excoluerat, ad templum tunc transtulit, et graviores declamavit causas, judicavitque. Martiario demortuo, ipse anno 1607. urbem nostram solemni ritu ingressus est. Vice sacra statim fuit usus Alexandri Sperelli fratris filii, qui deinceps Romam cum patruo profectus, Cardinali Gynnasio a cognitionibus fuit, mox Regii Lepidi, Parmae, Arimini, Januae, Veliterni proepiscopus factus, dein Orthoniensis Antistes electus, tandem promeruit, ut ad Eugubino-

rum pontificatum raperetur. Est in Ascanii gestis magnopere commendandum studium erga eos, qui erant a confessionibus excipiendis, ut munere imposito rite fungerentur. Poena multaticia proposita, jussit eos statis diebus unum in locum convenire, ut de theologia, quae ad mores pertinet, invicem disceptarent. Lustrata semel et iterum dioecesi, voluit, ecclesiarum curatores bis coram se convenire, ut dati acceptique rationes redderent. Laicorum sodalitates in urbe constitutas vigilantia fovit, latis legibus informavit. Mira fuit ejus in civilibus dissensionibus componendis prudentia, atque felicitas: solemne habuit graviori morbo detentos studiose invisere. Quum ad annos plures ecclesiam sibi creditam diligentissime precurasset; eam ex adversae valetudinis incommodis sibi demittendam esse judicasset, nisi Romanus Pontifex ei adjutorem dedisset Franciscum Sperellum nepotem. Sublatus est anno 1631.: nec dissimilis ab anteacta vita mors fuit, quam merito urbs universa pientissimo parente orbata deflevit.

FRANCISCUS SPERELLUS Asisiensis quantus olim in saeculo splendore generis, tantus postmodum gestis in ecclesia evasit. Liberali-

bus disciplinis omnibus a puero excultus, maxime tamen jurisprudentiae se dedit, usus in gymnasio romano magistris tum ingenio, tum nomine celebratissimis. Ut causas ageret, ad curiae lucem processit, ubi dicendo famam invenit. Dein omnem fere Italiam peragrans, doctis ubique viris familiaris factus est. Romam reversus foro valedixit, omnesque curas ad sacra transtulit, et Gregorius XV. anno 1621. eum episcopum Constantiensem brevi renunciavit. Hinc ad Ascanii curas sublevandas est missus, patrui votis successor postulatus. Post ejus mortem sedi fuit impositus anno 1631. Sermonibus causa est probata, Franciscum ex magna frumenti vi, quam eximio consilio per diaecesim collegerat, montes frumentarios quamplures pauperum incommodis perpetuo levandis constituisse. Auctor fuit sodalitatis Virginis Karmelitae: magnis erogatis sumptibus ejus sacram aedem in templo maximo extruendam jussit. Diaecesim mala affectus valetudine saepius summo cum labore peragravit: sacrae catachesi per se continuo operam impendit. Supremum diem Asisii obivit anno 1646.

ANGELUS MAIDALCHINUS. Vix est alius

nostrorum Antistitum, qui tot encomia ab omni civium ordine referret, quot ipse retulit. Natus Viterbii, habuit parentes patricii ordinis. Graecis, atque latinis instructus ad Dominicianam gentem accessit. Ut sacras literas perdisceret, non modo Florentiam, sed Bononiam quoque, et Patavium, imo Romam petiit. Summos in eo genere magistros audivit. Scripturae interpretes mox legit, tradiditque, et ab ea animi contentione nec in senectute unquam remisit. Vitae exemplo, morumque modestia mirabilis, plurimo apud omnes in pretio habitus fuit, eique Aquinatis ecclesiae infulam Romanus Pontifex contulit. Plenas religionis ardore, et eruditione res ea in sede proferens, novis honorum titulis inclaruit. Summus Septempedanorum moderator ab Innocentio X. dictus anno 1646., magistratum gessit sapienter, cuncta pietatis studio gubernavit. Idem Pontifex, cujus frater Pamphilius uxorem duxerat Olympiam Maidalchinam, Angelum purpurae dignitate donasset, nisi vir optimus in perpetua continentissimi animi tranquillitate conquievisset. Synodales leges ab eo latas anno 1652., et typis deinceps commissas, qui eum subsecuti fuerunt episcopi, maximi fecerunt omnes, easque ra-

tas habuerunt. Templi principis sacrarium praedivite suppellectile locupletavit. Pontificalem in ecclesiam multum ornamentorum intulit. Sacram *Plebis* Marianam aedem in Septempedanorum agro antiquitus excitatam meliorem in formam redegit. Nec cura illi segnior in ecclesia divae Catharinae instauranda, restituendaque. Ejusdem templi decori amplificando intentus, in illud solemni cultu S. Illuminati exuvias transtulit. Plura optime constituta invenies tum pro sacrarum Virginum disciplina tuenda, tum pro earum juribus recte fulciendis. Quae vel ad sacrorum religionem, vel ad cleri disciplinam pertinent, abunde in tabulis complexus est. Nemo pene fuit misera aut fortunae, aut valetudinis conditione, qui non putaret certissimum in ejus beneficentia sibi patrimonium constitutum. Quum vixisset naturae non satis, gloriae plurimum, anno 1677. denatus est. Ejus mors rei septempedanorum publicae gravis sane fuit, ac luctuosa. In titulo ejus animi dotes adumbrare conatus fuit Canonicorum ordo anno 1673. De eo Ughellius, Coletius, Fontana, et Cavalerius.

SCIPIO NIGRELLUS Ferrariae ortum duxit e familia veteri nobilitate illustri. Quantum in

studiis optimarum artium, ac in juris praesertim, facultate profecisset, ea quibus domi, forisque perfunctus est, munera potissimum declarant. Ad Primiceriatum Ferrariensis ecclesiae evectus, ne ulla in re suae dignitati deesset, operam impendit. A Julio marchione parente suo, qui romanum Senatorem gerebat, ad urbem accitus, inter Antistites aulae romanae adlectus, et in eorum numerum admissus, qui ab indulgentiarum consiliis ferendis erant, negotia, quae eo in caetu agebantur, per se ipse cognovit. Et sane praeclarum de eo judicium ab Innocentio XI. tum factum est, quando illum Septempedanorum episcopum anno 1677. renunciavit. In pontificatu gerendo haec potissima illius cura fuit, ut institueretur collegium puellis erudiendis sub earum, quae erant e societate Infantis Jesu, ministerio. Illud quoque mihi adnotatu dignum visum est, constanter ipsum in asserendo S. Margaritae viduae septempedanae cultu perstitisse. Eam in aediculam lypsana celebri pompa traduxit, in quam cives ditiora ornamenta contulerant. Ecclesiae bona recensenda, atque describenda mandavit: tum etiam tabularum indices confici, et archivia per diaecesim parari jussit. Sed brevi

episcopale regimen istud tam sanctum infausto omine perturbatum fuit maxime: hinc litium origo exorta plurimarum. Quare Innocentius XII. cavit, ut praefecturam istam adiret Cardinalis Petruccius Episcopus Æsii, qui ad morum disciplinam multa prudenter excogitavit, perfecitque anno 1694. Studium sacrarum literarum is mirifice erexit: conatus omnes brevi retudit: et diaecesim totam ipse peragrans facile obtinuit, ut quisque imposito munere nitide fungeretur. Re ita constituta, conjuncis studiis iterum cum civibus Nigrellus strenue laboravit, ut animarum saluti optime esset consultum. At diutino podagrae morbo distentus, finem fecit vivendi anno 1702., opimo post se apostolico fisco dimisso spolio, uti notat Coletius.

ALEXANDER AVIUS. Qui rem absolvere quam brevissime velit, neque complurium auctorum verba idcirco transcribere, is mea sententia rectissime faciet, si dicat in Avio omnes se Episcoporum virtutes reperisse. Camerini natus, habuit parentes Decurionum ordinis. Parem nactus educationem, in elegantioribus literis eruditus est. Clericali militiae adscriptus, et gravioribus disciplinis institutus, et Archi-

diaconus Camerinensis a Clemente X. renunciatus multa gessit, quae ejus studium in eo praesulatu regendo luculenter ostendunt. Postmodum Romam profectus, et cum carissimus esset cunctis, brevi doctrinae fructum uberrimum tulit: nam ab Innocentio XI. Episcopus Pisaurensis dictus est anno 1688. Huic ecclesiae praefectus, vix dici potest, quam studiose partes omnes muneris expleverit difficillimi. Summum in eo erat religionis studium: summa in omnes humanitas. Dioecesanam Synodum celebravit, quae nitidissimis typis est edita: ejusmodi vero leges praeclari Antistitis prudentiam magnopere commendant, et genere ipso scriptionis puro ac simplici mirum in modum delectant. Adversa valetudine tentatus, Pisaurensem infulam omnium luctu abdicavit, et a Clemente XI. ad hanc sedem translatus fuit anno 1702. In ea jam inde ab ipso episcopatus exordio illud agere instituerat, quod uberiorem scribendi materiam suppeditasset posteris, nisi invida mors eum anno 1703. dolentissimis civibus rapuisset.

ALEXANDER CALVIUS ex gente apud Pratenses antiqua et nobili ortus, adolescentiam omnem in uno bene dicendi studio contrivit.

Pari sedulitate omnigenae eruditionis partes conjunxit, absolvitque. Ita copia sermonis parata, ad jurisprudentiam convertit ingenium, et humanarum divinarumque literarum exempla dulci suavitate permiscens per diversa disputationum genera disertus semper, et aequalis incessit. Post umbratiles istas declamationes, cum Florentiae aliquandiu fuisset, Romam profectus est, ubi ingenii divitias explicavit, et peritus evasit jureconsultus. In hac fori celebritate versatus, ab Innocentio XII. dictus fuit Antistes urbanus. Praeclaris muneribus, iisque ut plurimum ex forensi judicatione negociosis, haud brevi perfunctus, Tudertinam praefecturam sortitus est. Dum tot obrutus curis diem illuxisse arbitrabatur, qua honesta ad summum donatus missione in locum quietis traduceretur, a Clemente XI. ad Septempedanam cathedram haud expetitam admotus fuit. Ingressus est urbem anno 1705. Illud pro certo dicturus sum, ipsum Pontifici apprime carum fuisse, ac illi Pontificem operam saepius comprobasse. Ejus cura factum inveni, ut ecclesiae nostrae immunitas, et jura confirmarentur: nec studium ejus apud cives desideratum fuisse credo, ut seminarii splen-

dor adaugeretur, et census. Ædiculas in coelitum Sanctorum cultum jussit esse in templo maximo, et operam navavit, ut juxta Tridentini sanctiones germana eorum lypsana a suppostitiis sejungerentur. Cavit, ut aes mulctaticium penes virum ab abstinentiae laude commendatum deponeretur. Quum in spem floreret rerum maximarum, morte praereptus est anno 1721.

JOANNES FRANCISCUS LEONINUS, genere, gestis celebritatem est consecutus. Ex Leonis X. affinitate, et ex proavis olim Tiburtini faeudi principibus romae in lucem editus, novit a juventute ingenii sui bonitatem, nec eam deteri, nec obsolescere passus est. Facile loquebatur et pure, facilitas ipsa et puritas mixta erat prudentiae. Adeo vero divinis rebus utebatur, ut in ejus ore animae candor sessitasse merito praedicetur. Jam splendido rerum politicarum regimine clarescebat, cum Dei monitu ductus, ecclesiae procurationi se totum addixit. Inter Antistites romanae aulae adlectus, in urbanis consiliis suffragium tulit. Ad urbes Piceni illustriores cum imperio missus animi moderatione, beneficentia in pauperes, prudentia in rebus apte temperandis excelluit.

Quae omnia impulerunt anno 1721. Innocentium XIII. ad eum Septempedanorum episcopum creandum. De nova dignitate haud elatus, in laboribus pro grege devorandis desudavit. Mores ejus ad suavitatem facti: omnes sine fastu in animum facillime admittebat. Interdixerat sibi quodcumque solatii genus: hinc non intermissa precandi assiduitas: hinc frequentes vigiliae, ut caelestia meditando animum pasceret. Corpus pessima affectum valetudine ipse anno 1725. reliquit, haerede ex asse instituto Fonseca episcopo Æsino, et sacrario templi pontificalis argentea supellectile honestato.

JULIUS CÆSAR COMPAGNONUS maceratae est ortus ex genere nobilissimo. Verborum lenocinia fugisse, et literas adamasse, ejus vitae ratio declarat. Carminis suavitate delectatus, animum ad res humaniores praesertim appulit. Inter Catenatorum sodales admissus, et eorum Princeps anno 1718. conclamatus, non raro cecinit, et sine fuco. Pontificalis templi Archidiaconus domi jussus, satisfecit omnibus, et spes conceptas implevit. Ut oblatam Septempedanorum infulam declinaret, nihil non egit. Sed Benedicti XIII. benevolentia vi-

ctus, anno 1725. episcopatum inivit. Summa in Deum religio, et charitas erga omnes eluxit in eo. Itaque gaudebat se avitis opibus abundare. Pontificatus sui jura in Abbates Laurentianos pro virili asseruit, vindicavit. In hymnis, et psalmis diebus festis simul cum Canonicis Deum laudare consuevit. Ad omnem comitatem, facilemque consuetudinem non tam excultus, quam natus primaevae aetatis praesules in se retulit. Ad illam annorum circuitionem perductus, in qua triumphali pompa Deiparae simulacro Grillusiano coronam imposuit Franciscus Oliverius canonicus, cui sacrae Vaticani templi vices erant demandatae, gratias Deo episcopus egit, multumque huic operae tribuit. Quotidiana hujus rei memoria recreatus, occubuit anno 1732.

DIONYSIUS PIERAGOSTINUS natus Camerini ex gente patricia ob acre ingenium, et mentem candidissimam, quidquid domi literarum fuit, celerrime arripuit. Singulari ardore in theologiam raptus, summos illius artis praeceptores vestigavit. Cum moribus esset inculpatis, Archidiaconus Camerinensis fuit salutatus. Ad jura sacra tuenda veluti natura factus, a Benedicto XIII. in Concilio ro-

mano a Decretis dictus est. Hinc proepiscopus Ravennae electus, tam sapienti arte ardua quaeque digessit, ut episcopo Tricalensi successor dari promeruerit. Eum inde praefecturae insignibus decoratum vidit Beneventana civitas: eum et Neapolis in theologorum caetum admissum conspexit, et audivit in disceptationibus, quae de fide, de disciplina regali in curia habebantur. Lucensis Archiepiscopus designatus, tantum cathedrae invidiosum fastigium modestissime declinavit. At animo volvens, periculosum esse Principum beneficia respuere, oblatam sibi a Clemente XII. Septempedanam sedem anno 1732. arripuit. Vix ad maenia nostra traductus ipse fuerat, cum Æsium ingressus jussu Pontificis, curavit, ut ad exitum ea perducerentur, quae de templo principe erant excogitata. Cum pari imperio moderatus est ecclesias Maceratae et Tolentini. Ad graviora Pontificum negocia adhibitus, apud Firmanos primum, mox apud Spoletanos recondita sacris in actis V. Antonii de Grassis, et B. Josephi a Leonissa eruit, obscura illustravit, intricata non minus erudite, quam dilucide reseravit. Dioecesanam coegit Synodum, qua nihil arduum in dogmatibus,

nihil anceps ambiguumve in juribus, obscurum denique nihil in factis reliquit. Camerini edita fuit anno 1735. Vir erat scribendi robore eximius, et ejus ex ore aurea quaedam scaturigo assidue, e suggestu etiam, profluxit. Davidicam quoque lyram suavissimo linguae plectro ipse attrectavit, et inter eximios literatorum hominum caetus cooptatus, epigrammata hymnosque construxit suavitate, deliciisque refertos. De officio sacrae Coronae Spineae Domini, et SS. Illuminati, Philumenae, et Margaritae inter nos recitando ipse primitus cogitavit. Societatem, quae a divo Ivone nomen habet, instituit. Sacras Marianas aedes Grillusiani, et Luminum nuncupatas solemni ritu inauguravit. Idipsum peregit in divi Philippi, et in divi Josephi. Fuit omnium primus, qui in Albis paschalibus Benedictinis Virginibus sacrum velamen imposuit, easque sacravit. Multa ad templi pontificalis ornatum dona obtulit splendidissima, fornici maximo laboranti consuluit, et pro ejus ornatu purpureo undulato opere damasceno conficiendo quamplura aere proprio impendit. Maximum sui desiderium reliquit anno 1745.

JOSEPH VIGNOLIUS apud Camertes natalem diem habuit. Firmi adolescentiam inter bonarum artium disciplinas transegit. In forensi palestra a Nicolao Calvuccio excultus prae caeteris, Alexandri Borgiae Archiepiscopi amicitiam est consecutus. Romam vocatus a Carolo Durinio Archiepiscopo Rhodiensi, ei in Melitensium legatione a cognitionibus fuit. Dein cum ipso ad Helveticam legationem, tandem ad Gallicanam translatus fuit. Lutetiae Parisiorum longo conflictatus morbo, hoc unum habebat in votis, ut in Italiam remearet valetudinis curandae gratia, utque ei liceret aliquando in privata statione reliquum vitae spatium insumere. Nihil minus, quam infulam cogitabat, quum factum est, ut et sanitatem recuperaret, et Episcopus Septempedanus anno 1746. a Benedicto XIV. renunciaretur. Pastor fuit non splendidus, non titulis aut cognationibus clarus, sed omni doctrinarum genere laudatissimus. Curavit, ut esset inter nos historiae ecclesiasticae academia, ex qua succum verae doctrinae in clericos derivaret. Igneo pietatis vigore plenus, viros ac matronas delegit, qui pueris et puellis erudiendis praeessent. Pauperum curam gessit paternam. Tertia

quaque Dominica solemnes supplicationes instituit ad pietatem in Eucharisticum sacramentum excitandam. Si quid erat in dioecesi ad Tridentini leges nondum compositum, illud quam diligenter studuit reformare. In Laurentianis juribus compescendis id sibi proposuit, ut caeteris episcopis, atque ideo dioecesi universae pro viribus prodesset. Dum sibi, et gregi tanto studio attendebat, accidit ut ad Carpentoractensem cathedram esset traductus. Etsi eam nunquam linquere statuisset, factum tamen est, ut ei Foroliviensis ecclesiae procuratio demandaretur. Plura commemorare instituti nostri ratio non postulat.

FRANCISCUS MARIA FORLANUS Capranicae in Sutrina dioecesi natus, ea subsidia habuit omnia, quibus artes arripimus, et ad humanitatem informamur. Quare vix ullam desideravit disciplinam, et discipulos prius habere caepit, quam magistros. In hac ingenii abundantia ecclesiae se addixit, et annum sextum supra vigesimum nondum agens, ob morum sanctimoniam vicariam operam impendit Tenderino Episcopo Civitatis Castellanae. Hoc mortuo, Romanam petiit academiam. Brevi eam sibi famam paravit, ut Episcopus Darda-

niensis creatus, Suffraganeus Sabinae instituеretur, omni virtutum genere commendatus. A Benedicto XIV. ad Septempedanorum sedem translatus anno 1757., sermone ac scriptis omnia composuit, emendavit. Censum annuum in pauperum subsidium deputavit. Episcopatus sui jura mirifice auxit: conventum coegit synodalem. Anno 1763. a Clemente XIII. ad cathedram Civitatis Castellanae, ac Hortae implendam traductus, eam rexit sanctissime. Plura ejus extant volumina typis mandata. Nullam praebet in iis ostentationis speciem: omnes humanas disciplinas cogit christianae pietati deservire. Stylum Scripturarum et sapore imbuit, et colore. En tituli. 1.° *Ragionamenti pastorali per un corso quaresimale.* 2.° *Omelie per le solennità dell' anno, ed altre funzioni pontificali.* 3.° *Discorsi familiari supra i Vangeli delle Domeniche fra l' anno.*

DOMINICUS JOANNES PROSPERUS Camers ita ab adolescentia literas cum pietate conjunxit, ut praestans inter aequales utroque in genere haberetur. Ad presbyterium promotus, omnes virtutibus instruxit. Primum Laurentianae abbatiae inter nos, hinc Praenestae,

mox ad aquas Salvias, tandem Subiaci vicarius designatus, omne enecavit semen vitiorum. Apud Monachenses in Ligurum finibus apostolica legatione perfunctus, gratus fuit summis, mediis, infimis. Cum benignitate singulari apud Mentonenses eadem potestate vixit, suisque pacis studiis illi continuo responderunt. Quare eum Clemens XIII. anno 1765. Septempedanorum Episcopum dixit. Sub eo Clerici bonum Christi odorem dederunt. Festos dies servatos voluit diligentissime: domus Dei decorem praecipue dilexit. Precationibus sacris sive publice, sive privatim fundendis assiduus; in promovenda S. Josephi Deiparae Sponsi devotione indefessus; in ecclesiasticae disciplinae instituto custodiendo perpetuus; et in muneribus obeundis promptus, prudens, justus. Nemo illum in psalmis, et hymnis memoria retinendis devicit. Laurentiani templi necessitatibus suos large erogando proventus prospicere maxime studuit, et sacris Severianis aedibus dona dedit praetiosissima. Diaecesanam synodum habuit. Singulari corporis venustate, summa morum suavitate praeditus cunctorum fuit amans, cunctis amabilissimus. Denatus est anno 1791.,

quum amissum lumen oculorum in annos plures patientissime tolerasset (1)

ANGELUS ANTONIUS ANSELMIUS Viterbii natus grande a natura ingenium sortitus est. Pie solerterque educatus a puero literas adamavit. Difficile dictu est, quantum brevi in eis omnium laude profecisset. Eum gravissimis in negociis consuluit Cardinalis Carrara: eum vicarium adlegit episcopus Viterbiensis, suis in judiciis conquievit. Sed illud longe illustrius habetur commemorandum, gravissimum scilicet Pii VI. de ejus ingenio testimonium. Is eum renunciavit Episcopum Terracinensium, Setinorum, Privernatium, eoque in munere eloquentiam graviorem secutus, gravissimis de rebus christiano more disseruit. Ad Pistoriensem Synodum examinandam romam accitus, ejus errores sapienter notavit. Adversa plerumque valetudine defaticatus, et aerem

(1) Dominicus Joannes Prosperus episcopus honorifica multa tribuit Annae Mariae Parteguelphiae. Orta a parentibus nobilitate claris, et in caetum Benedictinarum domi cooptata, moribus pariter et disciplina caeteras anteivit. Cum Deo omnes vitae fructus commutavit anno 1775. Humata jacet in eade sacra catheriniana. Extant de ea prodita literis praeclara hominum testimonia.

salubriorem respirare exoptans, ad sedem Septempedanam translatus fuit anno 1792. Ordines universi perpetuo amore coluerunt eum doctrina, pietate, aequanimitate, contemptu sui commendabilem, et in pauperes liberalitate singularem. In teterrima sacrorum jurium oppugnatione eum pacis auctorem experti sunt cives. Clericorum Regularium S. Pauli societatem in Seminarium invexit bono literarum omine. Pontificale templum ornavit, et donis insignibus honestavit. Post exilii aerumnas Comi pro ecclesiae legibus forti, laetoque animo toleratas, sedi honoris sui restitutus occubuit anno 1816. Animata ejus imago in homeliis, quas reliquit, verissimis expressa lineamentis intuetur. Summus ipse est in tuenda ecclesiae dignitate: severus in retinenda vetere disciplina: acer in condemnandis novarum opinionum auctoribus, et in doctrinarum monstris confringendis. Nihil tam abditum in Prophetarum libris, nihil in Evangelicis, aut Apostolicis literis, quod ille non adhibeat ceu notum. Semper nativa quadam suae eloquentiae suavitate artificium omne sapienter abscondit, et ejus oratio nullo labore videtur exundare. Scripsit quoque multa de ecclesiae vicissitudi-

nibus, quae ut in aspectum proferantur, votis enixis efflagitamus. (1)

JACOBUS RANGHIASCIUS BRANCALEONIUS comes Eugubii natus est anno 1754. XVII. kal. julias. Tyrocinio literarum domi posito, apud monachos sodalitatis Montis oliveti reliquum studiorum curriculum emensus est. Inter caeteros integritate morum praelucens, Canonicum eugubini templi praeclarissime egit. Mox sacrae paginae interpres ibi creatus, id muneris cum doctrinae laude obivit. Exemplo Sebastiani (2) fratris philologi, archaeologi, ac biographi praestantissimi incitatus, Romam petiit. Eo in sapientiae domicilio, et artium bonarum museo sedulitate atque ingenio

---

(1) Angelus Antonius Anselmius episcopus claras inter faeminas Rosam Margaritam Verdiniam recensitam voluit. Nata ipsa erat anno 1745. Brevi Christi igne correpta, dolores, aerumnas tulit animo semper infracto. Corporis cibum veluti oblita, dies jejuna plerumque transegit, colloquia tantum appetens spiritualia. Vitam patientiae laude cumulavit anno 1802. Sepulcrum habuit in Divi Philippi.

(2) Sebastiani Ranghiascii Brancaleonii elogium italice scripsimus anno 1822. Mutinae prodiit inter acta ephemeridis literariae.

brevi nactus est sui amantissimum Staium, Guascum, Feam, eorumque genio manuductus verendam antiquitatis aulam penetravit. Ad domesticae laudis studium in aevum prorogandum, incredibili tabularum apparatu aedes instruxit. A Pio VI. in numerum Canonicorum Basilicae Liberianae cooptatus, summis rei christianae difficultatibus negocia multa suscepit, eaque naviter atque integerrime gessit. Inter sodales academiae religionis catholicae adlectus, majorem ejus gloriam pro viribus quaesivit, promovit. Miro in aegrotos amore omnibus omnis factus fuit consilio, ope non sine vitae discrimine. Acerbitate temporum ingravescente, pro fide exsul egregius quamplura pertulit fortiter. Pio VII. in sedem honoris sui restituto, Romam iterum se contulit, ubi a Rege Sardiniae, a Regina Etruriae summo in pretio habitus est. Septempedanis anno 1816. episcopus datus, de re nostra universa fuit optime meritus. Is templum princeps Augustinianum aperuit, opibus auxit, donariis ornavit. Virorum, et mulierum sodalitates de suffragio Pontificis non modo restituit, sed etiam affecit censu praediviti. A Leone XII. sibi, et episcopis subrogandis beneficia multa

impetravit: nec minor fuit ejus sollicitudo in Seminarii rebus ampliandis. Tutela rei sacrae suscepta, comitiis synodalibus anno 1831. religionem catholicam sapienter adseruit, et legibus sanctissimis disciplinam fulcire connisus est. Valetudine usque ad ultimam senectutem usus firmissima, fuit totus in dioecesi (1) lustranda. Dilectus Deo, et hominibus vitam clausit anno 1838. Idibus Majas. Ave Pontifex, ave Parens hoc amoris pignus extremum, quod tibi damnus cum lacrymis, honoribus, et muneribus honestati, tu bonus e syderibus accipe.

PHILIPPUS XAVERIUS GRIMALDIUS comes parentem habuit Romulum, virum ornamentis decurionalibus Trejae ac Recineti donatum, et nostris in studiis, praesertimque poetices

---

(1) Jacobus Ranghiascius episcopus corpus Laurentiae Mantuanae transferendum curavit renovatum in templum, cui divi Joannis in pago Cagnorum nomen est. Nata ipsa erat anno 1597. Fuit casta in ore, in charitate eminens, incomparabilis in cultu erga Deiparam. Obiit anno 1663. Honoris virtutisque causa cardinalis Facchinettus episcopus Spoletanus, sacra rituum congregatione jubente, ossa ejus novum in loculum intulerat. Gesta fuse nimis concinnavit Dominicus Alerantius: eam ornavit laudibus Hieronymus Talpa - *Mem. Stor. Lib. VII.* -

excultum. Adolescens domi fuit apud suos, pudens, probus, et optimis studiis deditus. Romam missus, ut in ephebeo clementino literis politioribus et philosophicis disciplinis, Paltrinierio doctore, vacaret, omnium desiderio cumulatissime satisfecit. Ejus virtute et ingenio commotus Felix Paulius episcopus recinetensis et lauretanus, amorem erga eum suum mirifice auxit. Is cum theologiae, et juris caesarei ac pontificii inflammato studio teneretur, et cum aetatem ipsam doctrina longe anteiret, datus fuit adjutor Mazzagallio praeposito ecclesiae recinetensis. A Stephano Bellinio episcopo, quo sene nihil fuit sanctius nihil amabilius, Vicarius adlectus est: nec passus ipse fuit se frustra peti, ac vocari ad sacrum seminarium regendum, aliaque munia honestissima subeunda: quibus in rebus nervos atque ingenium intendit suum. Non in ambitiosas sacerdotiorum conquisitiones, non in suas voluptates eos locupletes proventus, quos ei praefecturae subministrabant, profudit, sed in ornamenta sacrarum aedium, in pauperum usum amantissime contulit. A Leone XII. Vicarius apostolicus recinatensis jussus, res omnes ad eum, quem Pontifex cupiebat, exitum per-

duxit. Majestate dicendi ornatus et eloquens, gessit per pulpita christianum virum, summam evangelii auctoritatem cum summa mansuetudine conjunxit, suis atque externis aeque gratus semper et verendus. Infulam Septempedanam a Gregorio XVI. ei delatam fuisse anno 1838. gavisi sunt omnes. Deus O. M. eum quam diutissime servet, ejusque rectissima consilia fortunet.

ELOGIA
VIRORUM ILLUSTRIUM.

— Fortes creantur fortibus —

(Horatius)

De Ordinibus equestribus.

Ubi Gothi, Longobardi, Franchi, et Germani Italiam subjugarunt, ex quaque urbe juvenes, qui genere et opibus militari cingulo mererent, conscripsere. Ii *Milites* primitus dicti, mox *Equites* vocitati sunt: nec parvum huic ordini splendorem attulit transvectio, quam cultu splendidissimo in Italia actam fuisse tradit inter alios Paulus Diaconus. Haec tum erat apud Italos toga; hic primus juventae honos: hinc *arma donare*, hinc *militiae cingulum tradere* apud scriptores pro *milite*, seu *equite* instituendo usurpatur. *Plurimos* ex *aula Caroli Magni militiae cingulum deposuisse*, ut *in sancto proposito religionis Autperto Abbati Vulturnensi* adhaererent, ejus in vita legimus. Nos insuper non latet, in ipsa ecclesia jam ante annos DCCC. *novi militis benedicendi* ritum inolevisse. Gladium, quo miles accingebatur, praecipuum militaris ordinis argumentum ante annum millesimum fuisse, docent Hitorpius, et Blesensis. Post hanc temporis notam equites dicebantur

non omnes proprie, qui equo merebant, sed ii tantum nobiles viri, qui a Principibus solemni cum pompa aut festis diebus, aut ludis in ordinem equestrem legebantur, cingulo militari donati. Sine his insignibus in publico conspici praenobili cuique viro turpe erat: iis in equitibus Italorum flos, ornamentum urbium, firmamentum reipublicae continebatur. Rogerius Apuliae, et Siciliae rex anno 1135. *quadraginta equites militari cingulo decoravit.* Azzo Marchio Estensis anno 1294., uti notat Muratorius, *factus fuit miles per Ghirardum de Camino, qui tunc erat dominus civitatis Trivixii, et eodem die, et hora dictus Azzo fecit quinquaginta duos milites ... alios Ferrarienses, Mutinenses, Bononienses, Florentinos, Paduanos, Lombardos.* Ludovicus Tarenti princeps, qui mox fuit rex neapolitanus, anno 1350. *occasione faciendi belli .... zona militiae decoravit nobilissimos juvenes septingentes, et ultra* ut in chronaca Estensi. At in Italia non Principes solum, verum etiam *civitates liberae* de equitibus *per Sindicum* legendis, instituendisque decernebant, vestibus et armis et torque aere publico paratis. Id passim apud Florentinos, Senenses, Aretinos,

Mediolanenses, aliosque usuvenisse, tradunt Villanus, Sacchettus, et auctor *chron. Senen.* ad annum 1326. Quare observandum, ex pervetusto equitum ordine sacros eos milites prodiisse in oriente, et occidente celebratissimos, Templarios, Melitenses, Teutonicos: hinc eos vel cruce, vel torque a Principibus insignitos: hinc tandem eos a calcaribus, aliisque insignibus denominatos: de quibus plura dici possent, si hic praefationis modulus id pateretur. Nam illud tantum nobis proposuimus, quod erat necessarium ad equitum originem post inclinatas romanorum res in Italia firmandam. Operam meam patriae nobilitatis cultoribus probatum iri spero, si nomina, et gesta septempedanorum equitum hic prodam.

I.

De Equitibus Septempedanorum.

Illustria quidem sunt, quae de Attonis ortu inter nos a Lilio, Marchesio, Scampolo, aliisque circumferuntur. Eum originem duxisse tradunt a Marquardo Annivilerio, qui Henrico IV. Augusto erat a dapibus ferendis, quique anno 1195. Ravennae Dux, et Marchiae Anconetanae Marchio ab Augusto fuerat declaratus. Sed nobis res satis explorata non est, an Marquardus, dum praepropero cursu anno 1198. Siciliam ingrediebatur, Grimaldescum, Rigattum, et Attonem infantulos filios in Marchia reliquisset nec ne. Certum tamen est, sub eodem tempore virtnte, et opibus inter nostros Attonem quemdam floruisse, atque ipsum gentis suae juribus tuendis longe deditum nequaquam ab armis abstinuisse. Ab eo tum Salimbeous, tum Raynaldus, tum Nutius, tum Smedutius, aliique prodiere, qui, dum urbes Italiae mutuis inter se flagrabant odiis, et dissensiones etiam non leves inter castra ac urbes oboriebantur, su-

perbo dominatu plura castra oppresserunt, et mox patriae imperium sibi vindicantes, Scalae cognomen in Smedutianum illud commutarunt.

RAYNALDUS, primus in Attonis successione, ante annum 1288. militiae insignibus decoratus conspicitur. Is belliger, et fortissimus patriae res Manfredi tyrannide laborantes juvit, et domesticis virtutibus bellicas laudes ornatiores reddidit. De eo Pamphilus.

NUTIUS RAYNALDI filius, ubi per aetatem novit egregie arma tractare, stipendia fecit honorifica. Eques dictus, patriae libertatem sibi oppugnandam statuit. Quare manus utrinque odio sunt consertae: et si fortuna ei hac in re tunc minime arrisit; certe Smedutio eas paravit vires, quibus nixus omnium impetum sustinuit, et civium gratiam, imperiumque captavit. De eo Pamphilus, Scampolus, aliique.

STEPHANUS SMEDUTII filius singulari mentis acumine praeditus, in literarum penetralia se immisit, et summos scientiae honores obtinuit. Ob merita Senensium Praetor dictus anno 1346., ea in praefectura eisdem virtutibus praefulsit, quibus dispari in re apud Etruscos inclaruerat usque ab anno 1315. Smedutius

ejus pater. Is enim cum Florentinis, et Bononiensibus copias eduxerat in guelphos Romandiolae, ac Tusciae, et primum strenue in Firmanorum agro, ut notat Adamius, pugnaverat, mox iu Ugutionem e Faggiola victricia arma converterat.

NICOLAUS alter SMEDUTII filius, Stephani vestigiis insistens literas, scientiasque in primis coluit. Caelum patriae pertaesus, Senas contendit, ut Praeturam gereret anno 1355. Eo in magistratu fratris sapientiam atque ingenium aequavit. Fuit gratus omnibus, et praesertim Cardinali Carillae Pontificis legato, qui dum vi, dum metu recipiebat quicquid dynastae in Umbria, Æmilia, et Piceno occupaverant, Nicolaum honoribus auxit. Ipse odii faces in Smedutium, et Gabutium suscitatas repressit. Intestinis enim discordiis Smedutius defatigatus, Ludovico Bavaro sese addixerat, cum eo Italiam peragraverat, et a Pontifice ob foedus cum Malatestis, et Vicecomitibus percussum solemni tunc notabatur censura.

BARTHOLOMÆUS tertius SMEDUTII filius, cui Manfredus Faventiae dynasta Flescam filiam desponderat, nomen ingens in exercitibus ductandis adeptus est. Erant inter Senenses, et Peru-

sinos acerbae suspiciones, ac simultates ex Corthonensium agro emergentes. Perusinae vires, quae omnibus semper Etruscis fuerant formidolosae, jam erant imminutae; cum Smedutius, et Bartholomaeus, qui pro Pontifice in Æmilia duce Carilla, pugnabant, a Perusinis acciti eorum afflictis rebus prospexere. Mittuntur ipsi, conscripto milite, Montem Politianum, urbem Senensium studiosam. Ii non tam oppugnaturi Chiangianum, quam obsessuri, ad Insulam, atque Arcellam castra locarunt. Ibi nonnihil morati ad Furcas se contulere, arcem expugnaturi, quae cessit jugentium pilarum perpetuis ictibus. Arce in potestatem redacta, ad Senensium arva contenderunt Smedutius, aeque ac Bartholomaeus, non parva militum caede edita. Ea res mirifice exhilaravit faederatos, et fuit auctarium quoddam gloriae Smedutiorum, quibus honorifica multa decreverunt Perusini. Mota dein sunt castra, et Ordelaphis, Manfredo, et Vicecomiti opposita; pugnatumque fuit minutis praeliis in Mutinensium agro. Dum hostibus animi crescebant, et Romani Pontificis copiae multis de causis frangebantur, Smedutius, et Bartholomaeus ei opem tulerunt. Feruntur eo bello multa Vicecomi-

tum millia interempta, capta muralia tormenta multa. Maximis dein usi itineribus, Smedutius et Bartholomaeus fines nostros sunt ingressi, spoliis opimis onusti. Quibus Romani Pontifices tum patri, tum filio perampla jura addixerunt. His ita gestis, Smedutius occubuit, et Bartholomaeus disciplinae militaris severitate impulsus, ultra montes in Castrum Durantem concessit, ut guelphorum vires contunderet. At obiter redeunti narratur, Etruriam magna ex parte a Pontifice defecisse, eamque Picenum, Flaminiam, Æmiliam ad facinus invitasse. Jam rapinis, jam incendiis, jam caedibus cuncta miles vastabat, cum nuncius Bartholomaeo est allatus, foederatas urbes ei exercitus praefecturam demandasse. Tum Pontifex in Picentes Joannem Malatestam, et Silvestrum Budam instructis cum copiis misit. Aliquot millibus et peditum, et equitum coactis, Bartholomaeus irruit in illos, eosque vehementer afflixit. Asculanorum agrum victor ingressus, bellum late circumtulit, oppida plura, et arces subegit, praesidio locis opportunis imposito. Dum ita Bartholomaeus spem haud dubiam de hostibus omnino conterendis concipiebat, eum anno 1376. civem, et equitem

Florentini ritu solemni, uti acta commemorânt, renunciarunt, eique Asculani munitissimam Montis Adami arcem dono dederunt.

ANTONIUS SMEDUTIUS moribus perquam similis fuit Bartholomaeo patri, sed bellica virtute similior, qua nominis sui famam longe lateque diffudit. Primo juventae flore in bello contra Raynaldum e Monte Virido strenue cum patre pugnavit. Iis adfuit praeliis, in quibus a Bartholomaeo sunt caesi, et in fugam versi Scaligerorum milites. Cum eo castra ad Campum Rotundum usque promovit, non mediocriter trepidantibus Varanis, qui propinqui hostis arma non immerito verebantur. Domum reversus, ut faeudalia gentis suae jura tueretur, qua civium vi irretita, qua Roberti, et Honuphrii ambitu obruta, non solum lares locupletiores ipse reddidit, verum etiam illustriorem fortunam sibi comparavit. Ast dolendum illud est, Antonium malis consiliis, initio saeculi XV., eo esse adductum, ut se Romano Pontifici refractarium praeberet, et arma etiam contra illum capesseret. At quia raro solet bene cedere, si quid contra Principem temere attentetur; e patriae dominatu excedere tandem compulsus fuit. Sed dum de paciscendis indu-

ciis apud Pontificem tractabatur, accidit, ut Sigismundus imperator Fulginei subsistens, torque Draconis devicti Antonium, uti scribit Dorius, decoraret. Huic equitum ordini suum et nomen dederant Aragoniae reges, et plures Principes quousque floruit.

SMEDUTIUS natus ex patre Antonio et Marsibilia Trincia, ut tradit Dorius, fuit eques invictus, teste Procaccio. Exorante Honuphrio ejus fratre, Episcopo Malphicense, et Eugenii IV. a vice sacra Antistite, ad patriae imperium denuo assumptus est. Ast brevi ob feritatem ingenii civibus invisum se reddidit. Dominatu idcirco exutus, et ad arcem Hadriani perductus, ibi jubente Pontifice in catenis est derelictus. Habuit fratrem natu majorem, Apollonium nomine, qui Philippi Ducis Mediolanensis studio innixus, in Venetos, et Florentinos pro Vicecomite strenue pugnavit, auctore Grassio.

POMPILIUS VICOLUS CACCIALUPUS humanitatis, et musarum deliciis acerbam aetatem mirifice ornavit, uti aperte indicant, quae nexa et soluta oratione conscripsit. Ingenii nervos ad jurisprudentiam intendit, et brevi se illius scientiae culmen attigisse monstravit.

In Picentum foro causas strenue defendit: dictus urbanus jurisconsultus omnium animos rapuit in admirationem sui. A Leone X. comes palatinus et eques conclamatus, imo protocomes in provincia, eo in munere fulsit. Aliis honoribus domi forisque decoratus, praepropero fato occubuit, graecis latinisque literis desiderium nunquam leniendum relinquens. Hic adnotatu est dignum, Leonem X. legem tulisse, ut hujus gentis *primogenitus* comitis et equitis palatini titulo honestaretur.

NICOLAUS CLAVARIUS Romam ineunte adolescentia missus, disciplinis optimis apprime fuit eruditus. Eos inter equites adlectus, quos a Friderico IV. imperatore institutos fuisse scimus, quum anno 1445. a Vaticano ad Basilicam Lateranensem cum Pontifice equitaret, studio religionis, laude abstinentiae enituit. In procurationem reipublicae accitus, expectationem civium sustinere connisus est. Anno 1523. vulgari lue inter nos debacchante, parem difficultati temporum animum gessit. De eo Ranaldius.

ANTONIUS BRUNUS jurisconsultus illustris, praesertim in canonicis sanctionibus interpretandis, vir fuit animi candore mirifice

exornatus. Summa eum benevolentia est prosecutus Angelus Grillus vir plane doctus. Praeturam Auximanam, et Æsinam adeptus, gloriam Francisci patris aequavit. Domum reversus, alia virtutis specimina praebuit variis in legationibus nitide gestis. Electus eques, et comes palatinus, dignitatem cum nominis celebritate adornavit. Nullum ingenii sui monumentum post se reliquit praeter additiones, quas fecerat in commentario legum municipalium. In deliciis poesim quandoque habuit. Celebratur a Grillo, Martorellio, Colucio, et Collectoribus bibliothecae picenae.

SEVERINUS BOCCAURATUS egregius sua tempestate medicus, patriam gloria, filios divitiis auxit. A primis annis literarum studiis deditus, philosophiae dein, mox medicinae scientiam adeptus, in utraque excelluit. Doctis viris percarus, honores summos pari cum laude est consecutus. In Patavino lyceo praefecturam obtinuit. Romam studiose accersitus, ex aliorum incolumitate sibi emolumenta summa comparavit. Anno 1539. dictus fuit eques sancti Petri, comes palatinus, et miles auratus. Scripsit *de tuenda sanitate.* Eum elogio decorarunt Thomassinius, Papadopulus, Comnenus, Panellius, aliique.

HIERONYMUS BOCCAURATUS prior ecclesiae nostrae, pontificio ac caesareo jure, dicendique facultate insignis, merito inter aevi sui oratores, jurisperitos, et antistites praecipuum obtinuit locum. Romam missus, et primum usus familiaritate Cardinalis s. Georgii, mox Cardinalis Jacobutii, tandem Cardinalis Farnesii, in Vaticano templo canonicatus honore fuit honestatus. Eques S. Petri, mox praesul urbanus, et pro-magister beneficiis dandis, adtribuendisque renunciatus, Paulum III. in sui benevolentiam adeo attraxit, ut, defuncto Acciensi Episcopo, successor ei datus fuerit anno 1545. Hac dignitate auctus, romanae rei sedulo adfuit. Diem supremum obiit anno 1547. De eo Ughellius, Civallus, Panellius, aliique.

HIERONYMUS FRANCHIUS ex TRUSCIÆ comitibus latine, graeceque doctus, et jurisprudentia instructus, aditum sibi ad honores patefecit. Honestissimis muneribus pro Marco Antonio Columna, et Cardinale Trivultio strenue functus apud Franciscum I. Gallorum regem, equitis s. Michaelis decora anno 1532. ab eo reportavit. Paulo III., Julio III., et Marcello II. carus, ab Helvetica legatione eisdem fuit. Con-

cilii Tridentini libertatem, et jura conatus est acriter non tueri modo, sed et longius propagare. Romam reversus, ultimos ibi dies conclusit. Ejus laudes percensent Panellius, aliique.

ANTONIUS JACOBUS FRANCHIUS ingenuas artes summo animi ardore fuit prosecutus. Juris utriusque laurea insignitus, publicis rebus se totum addixit. Laudis, et gloriae maxime appetens, non raro civium gratia apud viros Principes oravit, eques, et comes palatinus salutatus. De eo Ranaldius.

BORGHESIUS FATTORINUS ingenio nobili praeditus, facili labore scientiarum cognitionem hausit. Florentibus annis praetorio addictus, multos a calamitatibus innoxios vindicavit. Summa dicendi facultate pollens, a civibus ad honestiora munera fuit evectus. Fulginei, et Caesenae praetor jussus, jurisprudentiam illustravit, consilia scripsit, et difficillimos nodos dissolvit. Vocatus ab aliis Italiae urbibus, ut jus diceret, renuit parere natalis soli dulcedine illectus. Creatus eques, et comes palatinus senectam ea in dignitate ultimam consumpsit. Tamen a lucubrationibus se minime abdicavit, ex quibus habemus consilia legalia quaedam, quae in libro consul-

torum Italorum extant, et orationes binas pro *concordia septempedana*. De eo Jacobillius, Commentatus, Gentilius, aliique.

ANTONIUS GENTILIUS Rovellonus non tam juris utriusque cognitione excelluit, quam probitatis, et religionis ornamentis, juris ipsius prudentiam exornavit. Ob merita equitis aurati anno 1538. insignibus auctus, in exercendis patriae muneribus summopere desudavit.

LUCANDIUS MARGARUTIUS humanioribus ab ineunte aetate consecratus, primum in etruscis, mox in latinis, demum in graecis tyrocinium posuit. Progressus ad studia graviora, iis honoribus fuit donatus, qui strenuis rei literariae viris deferuntur. Vix studiorum metam attigerat, cum urbanis praefecturis operam impendit, celebratus ab omnibus uti morum et virtutum exemplar. Eques ss. Mauritii, et Lazari anno 1585. renunciatus, in patriae, ac gentis suae decus emicuit. Commendatur a Talpa.

FRANCISCUS CANCELLOTTUS forti pollens ingenio, in utroque jure valde profecit. Equestri honore anno 1591. insignitus, ad res publicas moderandas se contulit animo erecto. Legationes quamplures obivit egregie. Laudatur a Ganymede Pamphilo.

NUTUS MARGARUTIUS summo discendi ardore inflammatus, viros in omni eruditionis genere eximios Bononiae audivit. Domum reversus, equestrem dignitatem anno 1576. est assecutus. Ad aulam romanam, consultationis ergo, honorifice vocatus, suos alienis praeferendos censuit. Impendio summo eam domum a fundamentis erexit, exornavit, quae aetate nostra notatur Scinae nomine, et Episcoporum stemmate. De eo Pamphilus, et Divinius.

ÆNEAS CIOCCETTUS liberalibus disciplinis, et bonis artibus Bononiae imbutus, eques ss. Mauritii, et Lazari anno 1579. factus, Jacobum Sabellum cardinalem, et Piceni legatum diligentissime coluit. Natus ad negocia quaeque ardua tractanda, publicas res mirifice juvit. De eo Talpa.

VALERIUS CANCELLOTTUS graecas, et latinas literas egregie calluit. Cum aetatem virtute ac doctrina anteiret, Caesaris patris sui voluntate Romam progressus est. In fidem, et contubernium ab Alexandro Riario cardinale receptus, omnium expectationi satisfecit. Rebus romanis relictis, remigravit ad suos. Tum scribendo et sibi, et aliis prodesse conatus

est: nam cum historicas res nostras ipse videderet temporum injuria perturbatas, eas volumine explicavit. Eques militiae etruscae stephanianae dictus anno 1592., multa in cives variis legationibus officia contulit. Urbinatum Dux anno 1603. eum comiter excepit. Laudatur ab Ughellio, Fontana, Donnola, Antonellio, Felicio, et Collectoribus bibliothecae Picenae.

PATROCINIUS PARTEGUELPHIUS vir belliger et fortis, sub Clemente VII. multitudine hostium rem romanam summopere laborantem adjuvit. Domesticis virtutibus bellicas laudes ornatiores reddidit. Equestri dignitate auctus, opera praeclara sane, et reipublicae temporibus apta aggressus est. Ut veterem suam in eum observantiam aliquo grati animi officio laudatus Pontifex testaretur, eum numismate donavit.

LAURENTIUS CIOCCETTUS postquam literariis exercitationibus graviter vacavit, totum se contulit ad bellum, et arma. Missus in Galliam cum duce Hercule Sfrondato, ut subsidio esset foederatis contra Henricum Navarraeorum Regem, hostes ecclesiae catholicae vehementer afflixit. Exercitu in Italiam reverso, nihil sibi cessandum putavit, et anno 1597. se, suaque omnia Mario Columnae summo stu-

dio permisit, qui apud Italos plurimum bellica virtute valebat. Mox a Magno Etruriae Duce expetitus, ut cum classe contenderet ad domandos Turcas, qui mare habebant infestum, urbesque maritimas Italiae divexabant, eos audacter invasit, eos in fugam conjecit. Florentiam victor semel et iterum ingressus, et ad honestiores Tusciae praefecturas assumptus, numismate publico decreto donatus est. Laudatur a Scampolo.

CYPRIANUS CYPRIANIUS ea fuit vitae et morum integritate, eaque juris civilis, ac sacri scientia, ut judicari haud facile possit, utrum doctior esset an prudentior. Is cum aetate jam aliquantum processisset, Romam se contulit, et receptus in fidem ab Antonio Maffejo cardinale, cum reliquis omnibus, tum illi probatissimus vixit. Ubi Maffejus diem clausit extremum, ipse domum repetiit anno 1592., dictus eques auratus. Ejus ingenio, et consilio in administranda republica cives semper sunt usi.

PETRUS ANTONIUS TINTUS gravitate pariter, et admirabili morum probitate fulsit, nec tristi quisquam ab eo vultu discessit. Vir acuti ingenii, in publica, et literaria palestra se exercuit, et paria fecit in utraque. Apud omnes summo in honore habitus, equestris

ordinis ss. Mauritii, et Lazari insignia tulit. Antonio Ugolinio Antistiti urbano, nobilissimo doctissimoque civi, conjunctus extitit: nam ei Ugolinius Europam sororem suam nuptui tradiderat. Optimus quisque doluit ejus morte, quae incidit anno 1634. De eo Talpa.

FRANCISCUS MARGARUTIUS, ubi iis disciplinis, iisque literis, quibus puerilis aetas imbui solet, diligenter excultus fuit, missus Romam, in contuberniuim receptus est a Cardinale Sabellio, qui amplissimi ecclesiae romanae ordinis virtute, atque existimatione princeps tum erat, et omnium judicio habebatur. In ejus castissima domo multos annos ita vixit, ut ad optimarum artium studia assidue incumberet. At summo patriae necessitudinis vinculo obstrictus, et parentum desiderio motus, sibi tandem abeundum esse statuit. Quare cives eum incredibili pietate, et cultu sunt prosecuti. Nec iis modo carus et probatus fuit, sed etiam Magno Etruriae Duci, qui eum anno 1638. equestri stephaniana dignitate decoratum voluit. De eo Marchesius.

MAURITIUS I. CANCELLOTTUS domi politioribus literis eruditus, gravioribus deinde studiis, ac disciplinis Perusiae operam dedit.

Adscriptus in numerum equitum s. Stephani anno 1663., magnis eluxit virtutibus, et insignia pietatis exempla reliquit. Laboribus, aut vigiliis reipublicae causa suscipiendis ad extremum usque spiritum non pepercit. Literatus ipse, de literatis sensit honorifice.

EUSTACHIUS DIVINIUS, de quo italice ac latine disseruimus, Ferdinandi II. Magni Etruriae Ducis animum virtutibus in sui benevolentiam attraxit. De re optica, ac astronomica optime meritus, praediviti torque a Ferdinando donatus fuit, carus non minus exteris, quam italis. Severinus Servantius Collius comes viro tanto monumentum in antiquo templo maximo sua pecunia faciendum curavit cum titulo, quem ita dictavimus.

EUSTACHIO · DIVINIO
SEPTEMPEDANO
MATHEMATICO · OPTICO
QUOD · NOMINIS · ITALICI · GLORIAM
EDITIS · TABULIS
MICROSCOPIO · ET · TELESCOPIO
AUXERIT
SEVERINUS · SERVANTIUS · COLLIUS · COMES
PERVESTIGATORI
ORBIUM · CAELESTIUM
POSUIT
ANNO . MDCCCXXXVII.

GASPAR SERVANTIUS magna virtutis, et integritatis opinione claruit. Humanioribus literis, et praesertim jurisprudentiae, operam cum gloria navavit. Ad eum publicis de rebus referre, ejus sententiam in primis sciscitari solebant cives. Studia Magni Etruriae Ducis anno 1680. expertus, dictus fuit eques stephanianus. Fuit animo aperto, et simplici; amicitias coluit illustres. Denatus est anno 1717.

FULVIUS SERVANTIUS adolescentiam literis, et pietate excoluit. Ad res publicas moderandas accitus, severitatem ita comitati miscuit, ut facilitatem gravitas, gravitatem facilitas temperaret, et paternus ejus in omnes animus appareret. Civitas tota erga Fulvium de se optime meritum, et equitem stephanianum anno 1691. declaratum, studium, ac voluntatem suam significavit. Partes implevit viri amplissimi, et cum veteribus comparandi. Obiit anno 1745.

MAURITIUS II. CANCELLOTTUS sacri, humanique juris cultor excellens, in equitum s. Stephani ordinem cooptatus est. Vitae integritate admirandus, res urbanas sententia sua continuo adjuvit.

ANGELUS I. CANCELLOTTUS politiori-

bus literis tum etruscis, tum latinis ornatus, et gravioribus muneribus egregie perfunctus, equestrem stephanianam amplitudinem sortitus est anno 1714., quam splendide rexit. Inter caeteras virtutes justitiam coluit studio singulari.

LUCIUS SERVANTIUS a florentibus annis romam missus, disciplinas omnes, quibus ingenui viri exornari debent, et in primis jurisprudentiam comparavit, ingenio vivido, et gloriae in perdiscendo avido ditatus. Domum regressus, et dictus eques stephanianus anno 1731., omnia egit ratione, et consilio summo. Lenta febri potius, quam annis sublatus est magno suorum luctu.

GASPAR II. SERVANTIUS ad equitis stephaniani gradum evectus anno 1747., in omnibus negociis, et actionibus singulare decus, et mirificam dignitatem praesetulit. Erat in capiendo consilio prudens, in dando fidus, in explicanda sententia gravis, atque disertus. Latinas ipse literas perbelle excoluerat, nobilissimi omnium philosophi praecepta cognoverat, et multa ex caesareo, ac pontificio hauserat jure. Venerandae antiquitatis etiam studiosus fuerat, in qua quidem quantum excel-

lere potuerit, si ad illam se penitus dedere voluisset, plura ab eo gesta declarant. Totum quoque animum in historiam, et numismaticam collocaverat. Castissimo musarum lacte enutritus, et princeps Arcadae Coloniae inter nos a patribus conscriptis conclamatus, urbis dignitatem scientiarum, et bonarum artium studiis auxerat. Quibus rebus effectum, ut certatim eruditi quique viri ejus amicitiae studuissent, eum amore essent prosequuti nec visum. A Catharina Ruthenorum imperatrice donis ac honoribus honestatus, migravit e vita immortali apud nos memoria dignus.

SEVERINUS ex gente LAVINIA ortus, parentes habuit Lauram Mannuzziniam, et Franciscum Lavinium, qui in Decurionum albo merito relatus, lares fixerat inter nostros. Vir fuit eximiis animi dotibus exornatus. A civibus summas ad res adhibitus, prudentiae laudem promeruit. Eques ss. Mauritii, et Lazari anno 1756. designatus, hoc in munere integre, et splendide versatus est. Is ab urbana comitate non abhorruit; nobilitati pariter et plebi acceptus, publici boni fuit custos diligentissimus.

CAROLUS LAVINIUS principis templi nostri canonicus fuit. Ejus vitae integritas cum

omnibus esset probata, Romani Pontifices suos inter familiares eum cooptarunt. Jussus eques ss. Mauritii et Lazari anno 1782., sibi viam ad honestiores praefecturas communierat. Sed adversa plerumque valetudine conflictatus, ab ea tandem fuit victus.

SEVERINUS SERVANTIUS per omnem honestarum artium cultum pueritiam, adolescentiamque transegit. Castam scribendi formam amavit, et philosophiam, ac jurisprudentiam mirifice calluit. Eques hyerosolimitanus renunciatus est anno 1786. Pium VI. suavitate morum, atque ingenio praeclaro amantissimum expertus, et perhonorifica legatione Lucernam ad Helvetios missus, omnia supra laudem confecit. Praefectus sacris negociis in utriusque Siciliae principatu, Romani Pontificis majestatem adseruit. Legatione ob temporum vicissitudines intermissa, alia munera sustinuit universorum sententia probatus. Vim inopinati morbi magno animo perpessus, Romae adquievit.

ANGELUS II. CANCELLOTTUS scientiâ, et integritate emicuit. Creatus eques stephanianus, gentis suae splendorem adauxit. Ævo infausto praefecturam urbanam naviter gessit:

prudentia populares motus compescuit. Pauperes largitate, omnique humanitate recreavit. Animum fortem in senectute nunquam exsuit. Obiit anno 1831.

JOANNES BAPTISTA COLLIUS conspicuis procerum familiaritatibus honestatus, fuit eques stephanianus. Perpetuus egentium altor, eis multa aureorum millia testamento legavit. Puellis orbitate, ac inopia laborantibus praedivitem censum reliquit. Ædi Michaeli Archangelo sacrae, equitibus militensibus jam commendatae, satis pecuniae adtribuit, ut instauraretur. Curavit etiam, ut iterum sacra operarentur in templo, quod a divo Joanne Baptista nomen habet, impensa remissa. Cadaver ejus fuit elatum ad ecclesiam Dominicianorum, subjecta illius monumento memoria perinsigni. Plura de eo congessimus in volumine I. pag. 152.

NICOLAUS LUTIUS ex marchionibus Votalarcae eorum cooptatus in caetum qui sunt a consultationibus provinciae nostrae cognoscendis, dictus est eques gregorianus. Vivit.

II.

De viris in literis, et armis illustrioribus.

Virtus est ipsa per se amabilis, eique honor, et observantia debetur: ipsa invitat, ipsa allicit, atque afficit sui studiosos voluptate omni, omnibus praemiis. Is igitur in elogiis, alphabetica ratione dispositis, habeat campum quisque civis, in quo domestica, et publica virtus parta vigiliis, bene agendi jam consuetudine confirmata, excurrat. Quae si juvenibus praesertim magna videbuntur ac gloriosa, animum sic instituant, nihil ut ad se ipsos referant, nihil ipsi sibi arrogent, aut a se ipsis expectent: manasse a Deo cuncta putent: nos, ut nos nihil sumus.

ACHILLAEUS FELIX literas humaniores, et philosophiam apprime excoluit. Perusiam profectus, et laurea insignitus, in deliciis fuit Urbinatum dynastis, a quibus adscitus multa gessit praeclara. Ad praefecturam Interamnensem assumptus, in exemplum justitiae fulsit.

Mox ad ecclesiae gradus provectus, et a Camertum Pontifice vicaria potestate exornatus, munus adimplevit probantibus omnibus. Canonicus domi renunciatus, gravioribus in rebus consilio, et opera civibus non unquam defuit. Anno 1620. scripsit acta Franciscae Trigliae e Serrono faeminae pientissimae. Laudatur a Cancellotto, Lilio, Marangonio, et Collectoribus bibliothecae picenae.

ACHILLAEUS MUTIUS sedulam christianae reipublicae operam navavit. Vir ingenio nobili, prima aetate rhetorices, et mathematices domi, mox legum studia Firmi adamavit. Theologus aetatis suae facile princeps, a dogmatum tractatione gravissima ad epigrammata saepe suavissima se conferebat, modo etrusca, modo latina, aliquando etiam graeca. Haec vitae ratio incredibiliter romae arrisit Philippo Nerio. Baronius in romana amplitudine constitutus, de veteri humanitate in Mutium nihil detraxit, quinimo humanitatem ipsam reddidit splendidiorem in eum, de cujus doctrina in multiplici, implexaque historiarum tractatione noluit carere, teste Giojosio. Muneribus omnibus, quae passim in hoc opere attigimus, nitide functus, bonorum lacrymis honestatus

occubuit anno 1634. Multa scripsit: inter quae praecipue memorantur. 1. *Liber diversorum*. 2. *de horis canonicis*. De eo Gallonius, Homineus, Marcianus, Baccius, Cancellottus, aliique.

ALOVYSIUS BERNARDINUS vitam ingressus est anno 1480. circiter. Parentem habuit Aloysium, qui, auctore Pellinio, equitatuum ductor fuit strenuissimus. Latini atque graeci sermonis fontibus fuit enutritus, et frequenti exercitatione excultus. Ad medicam artem sponte sua tendens, ad eam se totum addixit, et florente adhuc aetate ejus theoremata eruditione mirabili propugnavit. Vir ab omnibus cultus, et expetitus, floruit optimatum gratia. Horatius Augenius, qui Maceratae, Romae, Ticini, Patavii salutis artem omnium plausu erat professus, crebra approbatione eum *compatrem* suum, eum *medicum insignem* appellavit, recreavitque literis amantissimis. Puri, atque integerrimi ejus erant mores: ejus modestia, continentiaque celebrabatur. Laudibus eum ornarunt Pamphilus, Panellius, Colucius, aliique.

ALOVYSIUS JOANNES BAPTISTA fuit vir praestantissimus tum ob gloriam Bernardini patris, tum ob ingenii sui acumen. Omnium virtutum, et disciplinarum genere ornatus,

medicinae dignitatem protulit, ejusque leges adseruit. Suffectus ad Aristotelis ethicen interpretandam in gymnasio Patavino, communi sententia praecipuum nomen est assecutus. Civibus gestientibus in patriam reversus, otium cum dignitate honoribus antehabuit. In carminibus perpoliendis intentus, varia scripsit lucide expressa. Malo literarum omine e vivis excessit anno 1557. A Riccobono, Thomassinio, Panellio, et Colucio laudatur.

ALOVYSIUS VINCENTIUS Vespasiani filius ea viguit mentis sagacitate, qua facile per se posset cognoscere, quaenam esset bona, et probabilis scribendi ratio tum in oratoria, tum in poetica facultate. Ubi in philosophicis disciplinis versatus est, Bernardini, et Joannis Baptistae vestigia relegit. Quare ad medicinae fontes animum intendit, et viam caeteris demonstravit. Gemina laurea donatus, Asculi primum, mox Fani specimen doctrinae suae clarissimum edidit, uti Vannozzus tradidit in Libro *de Aqua minerali Salmacina*. Dum illud enitebatur, ut Platonem cum Aristotele in pluribus conciliaret, contigit ei peropportune domi rursus vitam agere: nam uti erat caeteris solutior curis, ita plus nactus tran-

quillitatis, plus voluptatis capiebat in lucubrationibus suis per otium expoliendis. Hanc vitae jucunditatem mors abrupit anno 1628. Ejus meminit Panellius.

BARTELLUS SENSINIUS LIBERATUS praeclare a natura ad humanitatem factus fuit. Romam profectus, ita se philosophiae, et jurisprudentiae facultatibus dedidit, ut fama ejus omnium aures compleverit. Stephani Nardinii cardinalis archiepiscopi mediolanensis benevolentia honestatus, ab ejus cognitionibus fuit. Eum praemiis cumulavit Joannes Baptista Cibus cardinalis, qui mox ecclesiae catholicae administrandae praefectus, et Innocentius VIII. appellatus, Bartellum inter antistites urbanos adlegit. Datus a Nardinio cum vicaria potestate splendidissimo ordini canonicorum s. Mariae trans Tiberim, omnium laudem est supergressus. Cum in Nardinii locum cardinalis Georgius Costa lusitanus archiepiscopus ulixponensis esset suffectus, eum canonicatu in eadem basilica adauctum voluit, eique post mortem sua commendavit. Sapientia Joannis Lopez cardinalis ab eadem vice sacra designatus, res sibi creditas doctrina, largitate erexit. Postquam vero scriptis, et gestis dignitati

etiam, et commodo principis ecclesiae nostrae consuluit, domesticis parietibus se restituit. Prior salutatus, extremum aetatis exegit inter cives, singulari in canonicorum collegium beneficentia clarus. Ejus effigies expressa conspicitur in tabula, cui divae Mariae Pacis in templo maximo Augustiniano nomen est, manu Bernardini Pinturicchii. Qui Bartelliano desiderio tenentur, adeant Bruchardum, Morettum, Sartium, Colucium, Turchium, et Collectores bibliothecae picenae.

BENIUS ANTONIUS Ovidii filius, natus anno 1581. de politiori humanitate fuit optime meritus. Scriptor limatus, et venustus non solum oratoriam et poeticam facultatem ornavit, verum etiam fuit auctor plurimis, ut saperent, et scriberent recte. Is aureos tantum auctores proponebat aliis ante oculos, aureos ipse tantum versabat diu noctuque. Acerrima fuit ejus religio in carminibus modo latinis, modo italicis perpoliendis. Perusiae scholas patrum societatis Jesu frequentaverat, et potuerat ibi sese probare Famiano Strada viro doctissimo. Rogatus, nomen dederat sodalibus Partheniis, Insensatis, commendatus a Franchinio, Cascina, Petruccio, et Pelleonio. Legatus cum patria

potestate missus primum ad Antonium Mariam Gallum cardinalem, mox ad Carolum Hemmanuelem Pium cardinalem Sabaudiae, humanissime exceptus est. Adsertor fuit pacis, et concordiae civium: sive in otio, sive in negotio mira fulsit dexteritate. De eo Ruelius, Crispoldus, Homineus, Colucius, et Collectores bibliothecae picenae. Scripsit poemata 1. *Il Re Pico.* 2. *Il Principe di Crino.* 3. *Alexander Farnesius, seu Antuerpiensium bellum.*

BOCCAURATUS PHILIPPUS ANGELUS vir fuit armis insignis. Solimano, ac dein Selino Turcarum imperatoribus Cyprum expugnare tentantibus, cum Hispaniae rege, et Veneto senatu Pius V. anno 1571. faedus percusserat. Marcus Antonius Columna pontificiae classi erat praefectus. Commissis utrinque viribus, incredibili pertinacia per horas quinque ad Neupactum pugnatum fuerat, et faventibus Superis victoria christianis cesserat. Hoc in praelio Boccauratus Columnae obtemperans, Turcas circa Ægei insulas invadit, et formidabili ictu disjecit. Post haec in urbem Marcum Antonium redeuntem triumphali pompa populus romanus excepit: gratulationibus publicis honestatus fuit et Philippus. Alia dein ipse per-

fecit, victoria fortiter usus. Dolore renum, et calculi molestia oppressus, castra ipse deseruit. Domi mortuus fuit anno 1615. Elogio eum donarunt Fontana, Scampolus, et Panelius.

BOCCAURATUS JACOBUS ingenio nobili praeditus, Ciceronem sibi, et Aristotelem cognoscendos proposuit: quorum ex altero philosophorum omnium principe, rerum cognitionem, ex altero latinae eloquentiae parente, orationis copiam hausit. Poetices etiam cultor sollicitus, in elegantioribus literis versabatur, cum jubente patre juris civilis studium amplexus est. Quare Bononiam profectus, brevi praeclara doctrinae specimina ea in urbe ipse dedit. Nam laurea insignitus, et a regendis studiis designatus, patrum instituta excoluit apprime. Domum reversus, et viris rei urbanae administrandae praepositus, prudentia civium dignitati consuluit, valideque se exercuit in foro literario Agitatorum. Sacerdotalem dein dignitatem adeptus, ad sacra omnino se transtulit, et fuit a vice sacra episcoporum Tolentini, et Laureti. Dictus canonicus a rebus divinis interprentandis, et ita allectus ut domum repeteret, juvit rem nostram literariam inclinatam in pejus. Sed brevi onus alteri demandavit, et

oblatos sibi honores a Nigrellio Episcopo renuit, quo liberius literis vacare posset. Adquievit anno 1714. Commendatur a Marangonio. Operam suam naviter impendit, ut jura municipalia urbis nostrae typis anno 1672. mandarentur.

BRUNUS FRANCISCUS artes, quae ad humanitatem pertinent, florentibus annis escoluit. Perusiam profectus, et gravioribus disciplinis intentus, eximius jureconsultus evasit, institutione usus Petri Philippi e Cornea doctissimi legum cultoris. Maceratensium praetor designatus anno 1483, et eidem muneri iterum praefectus anno 1486., id negocii suprà laudem exercuit. Senensium judex factus anno 1493. ex opere *de indiciis et tortura* tantum claritatis adeptus est, ut ejus fama trans alpes etiam pervagaretur. Mox Florentini cives eum judicem salutarunt, et pluries verba ipse fecit in senatu impetu orationis admirabili. Etruria fluctibus adversis aestuante, domum repetiit, ut civium utilitati consuleret. Perhonorifica legatione anno 1502. Fabrianum missus ad Episcopum Elvensem Pontificis commissarium, res magni momenti confecit. Virtute, et studiorum similitudine vixit illustris amicitia Bartholomaei Sozini, Bulgarini Senensis, Ubaldi Bar-

tholini, Joannis de Monte Sperello, et Francisci Bellini, qui scientiarum fama omnium judicio principes erant. Diuturnis laboribus fractus, diem obiit supremum anno 1510., bonorum lacrymis honestatus. Eum laudibus cumularunt Blancius Patavinus, Casonius, Ghirlandius, Marsilius, Brixianus, Walfrancus, de Comitibus, de Mandrisio, aliique. Scripsit 1. *de indiciis, et tortura. Venetiis* 1494. 1549. *Lugduni* 1553. *Venetiis* 1563. 2. *de turbata possessione.* 3. *adnotationes ad statutum septempedanum.* 4. *de maleficiis.*

BRUNUS JOANNES pulcre paratus a natura, paratior ab arte, accessit ad forum. Dici vix potest, quot curas, quot labores Romae susceperit, ut absolutus evaderet jureconsultus. Nihil putabat sibi licere nescire. Omnium idcirco disciplinarum varietate redundans, a Joanne XXIII. ad concilium constantiense fuit missus anno 1414. procurator rei Italorum subsidiariae. Omni officiorum genere a Martino V. honestatus, remigravit in Italiam, sapientum virorum doctrina, eruditione, humanitate familiariter usus.

BRUNUS PHILIPPUS Stephani filius, Perusiam profectus anno 1425. jurisprudentiae pal-

mam nemini concessit. In Benedictinorum societatem adscriptus, et abbas dictus laurentianus, operam civibus solers impendit, quà rem publicam juvans, quà virtutibus eorum mentes instituens, et effingens. Anno 1443. de regno et majestate parta Eugenio IV. orator est gratulatus: et anno 1447. illud nec frustra romana in aula expostulavit, ut Smedutiorum jura in reipublicae nostrae utilitatem caderent. Suspiciosissimi temporis difficultates, moderatrice prudentia, vincens, gentis suae imperium protulit, arce Schitiana anno 1450. coempta. Alia multa universorum commendatione probata ipse gessit, quae legi possunt in chronotaxi laurentiana. Ejus meminit Martorellius.

CACCIALUPUS ANTONIUS ritu solemni laurea, caeterisque doctrinae insignibus decoratus, Joanni Baptistae patri, viro jurisconsultissimo, moribus, ac scientia fuit similis. Primo juventae flore romam profectus, gratiam nactus est Francisci Tudeschini Piccolominei cardinalis senensis, qui gravissimo Italiae tempore Picenam, Umbram, Germanicam legationem gesserat, quique nomine Pii III. pontifex fuit. Inter advocatos concistoriales longe ante annum 1493. adlectus, *et de parco*

majori abbreviator dictus, romanae rei majestatem adseruit, doctor aetatis suae nemini secundus. Alienus a fastu, ingenuus, et fidelis, abhorruit ab omni simulatione, veluti a peste horribili humanae societatis. Denatus est anno 1518. De eo Pancirolus. In rogitibus Severini Grimaldi anno 1493. exaratis, ita legimus — *Dnum Antonium Caccialupi de Sanctoseverino advocatum concistorialem* —

BALTHASSAR CACCIALUPUS fuit erga omnes officiosus; neque unquam commisit, ut aliqua a se vel obsequii, vel amoris, vel urbanitatis significatio desideraretur. Juris cultor, et humanarum literarum cognitione praestans, muneribus sibi traditis naviter functus est. Sfortianis militibus Picenum invadentibus, Eugenium IV. orator adivit. Jussus praetor Fabriani anno 1460., et Fulginei anno 1464., doctrina emicuit eximia. Vulgari lue terris ablatus fuit anno 1465. Laudatur a Jacobillio, Lancellotto, et Colucio.

CACCIALUPUS JOANNES BAPTISTA quantus domi splendore generis claruit, tantus scriptis, gestisque evasit apud Italos. Liberalibus disciplinis omnibus a puero excultus: maxime vero jurisprudentiae Perusiae se dedit

anno 1441., usus doctoribus Joanne Petruccio, et Angelo Perellio, quorum clarissimum tum erat nomen, quosque et bonitate ingenii, et industria singulari brevi non aequavit solum, verum et superavit. Anno 1450. domum reversus, uxorem duxit Biancinam Procacciam faeminam clarissimam. Mox ut causas ageret, ad forenses strepitus processit, ubi eam dicendo famam invenit, ut ad honores continuo esset evocatus. Anno 1460. interpres juris caesarei dictus fuit in Senensi gymnasio. Referta ea urbs tum erat viris in omni doctrinae, et literarum genere praestantissimis, quos ille omnes celeriter amicitia, et consuetudine comprehendit. In primis vero celeberrimum hominem Alexandrum ab Imola sui amantissimum expertus est. Bartholomaeum Socinum, et Marium Salamonium de Albertischis utriusque institutionis arcana ipse docuit. Senenses circa annum 1464. ejus in judicandis negociis publicis opera, et ingenio usi sunt. Mox tradendi juris munus in Pisano lyceo magna cum sui nominis commendatione sustinuit. Ast ubi gravis est orta in Tuscia seditio, et ad arma urbes venerunt, ipse in patriam rediit honorabiliter habitus. Rebus publicis in Italia tan-

tisper compositis, romam se contulit, et plaudentibus omnibus pontificii juris solemnes praeelectiones habuit. Dictus advocatus concistorialis, romanae rei in discrimen adductae percommode adfuit. Eum Innocentius VIII., et Alexander VI. eloquio gravissimo dicentem in consilio Principis, laude honestarunt. Opibus relictis maximis, anno 1496. omnium cum luctu decessit. Civium libertatem, et jura conatus ipse fuerat acriter tueri. Variis idcirco muneribus ab iis affectus erat usque ab anno 1485, et honoribus variis insignitus, uti optime de re publica meritus. Ejus effigies, manu picta Laurentii Severinatis, civibus traditur conspicienda in aede Cajetani Alovysii Caccialupi. Pleno ore eum laudarunt Crottus, Socinus, Gravatius, Brantius, Tartagnius, Gomesius, Massa, Mantua, Marsilius, Tirius, Paranzonius, Carafa, aliique. Praeclara edidit ingenii monumenta, quae producimus. 1. *Repetitiones in Leg. Lugduni* 1553. *in comment. ad varia jurisconsultorum responsa vol. I. II. VII. VIII.* Repetitiones istae referuntur ab Augustino Fontana in bibliotheca legali. *Parmae* 1688. Editae etiam sunt a Wolfango in elencho scriptorum, qui in jure tam civili, quam

canonico commentando floruerunt. *Francofurti ad Maenum* 1579. *Parisiis* 1512. *Coloniae* 1571. 2. *Tractatus de pactis*, *et constituto. Lugduni* 1553. *Tractatus universi juris. Venetiis* 1584. 3. *Tractatus de transactionibus in opere*, *cui titulus* : *Selecti tractatus juris varii vere aurei*: *Venetiis* 1580. 4. *Tractatus de ludo. Venetiis* 1584. 5. *Tractatus de advocatis. Venetiis* 1584. 6. *Tractatus de debitore suspecto*, *et fugitivo. Venetiis* 1580. 7. *Tractatus de faeudis. Coloniae* 1571. *Venetiis* 1584. 8. *De pensionibus. Romae* 1531. 1539. 9. *De praerogativa monachorum. Venetiis* 1581. 10. *De unionibus ecclesiarum*, *et beneficiorum. Romae* 1531. 11. *De sequestris. Venetiis.* 12. *De suspecto juramento.* 13. *De officio advocati. Coloniae* 1589. 14. *Defensorium juris.* 15. *De modo studendi. Venetiis* 1555. 1564. *Lugduni* 1538. 1569. 1578. *Venetiis* 1606. 16. *Quaestiones quatuor inter Caccialupum*, *et Socinum ventilatae.* De iis apud Wolfangum. 17. *Consilia.* Extant in operibus Cardinalis Zabarellae, Socini junioris, Cornei, Crotti, Zilettii. *Venetiis* 1572. 1582. *Cremonae* 1557. 18. *Consilia legalia.* 19. *Tractatus de effectu clausulae.* 20. *Tractatus de pleni-

tudine potestatis. 21. *Disceptatio de donatione.* 22. *Tractatus de notis gratiarum.* 23. *De literis gratiae.*

CACCIALUPUS PETRUS SIMON Perusiam profectus, ad se eruditorum hominum ora convertit, et anno 1599. in philosophorum, et jurisconsultorum album fuit relatus. Domum reversus, negotiis publicis se addixit. Mox ad archidiaconatum ecclesiae nostrae evectus, ingenuarum artium rem mirifice juvit. A vice sacra Episcopi Sperellii renunciatus, spinosas jurisconsultorum concertationes cum romani sermonis nitore conjunxit. Lusit etiam latinis versibus acta civium caelitum beatorum. Elatus fuit anno 1621. De eo Aldigherius Fontana.

CAMERLENGHIUS JOACHIM tantum studiis profecit, ut vix ulla disciplina in eo fuerit desiderata. Ad poesim praesertim raptus, in ea pie, et jucunde versatus est. Latinis auctoribus usus, anteposuit Martialem Catullo, Tacitum Tullio. Cum aliquandiu domi fuisset, Anconam arcessitus anno 1610. rem literariam juvit eo in procerum ephebeo. Factus archipresbyter Toffiae, omnes vita, et moribus anteivit. Postquam huic muneri satis diu prae-

fuit, id sacerdotii sponte demisit. Domum reversus, tam sancte sacra tractavit, ut inter sacrificandum lacrymas effunderet frequenter, et easdem aliis excuteret. Adquievit anno 1658. Laudatur a Marangonio, et a Collectoribus bibliothecae picenae. Edidit. 1. *Panegirico della Madonna de' Lumi. Maceratae* 1631. 2. *La Susanna. Viterbii* 1622. 3. *Vita di S. Palazia. Maceratae* 1648.

CANCELLOTTUS CAESAR humanitatis, et musarum praesertim deliciis acerbam aetatem ornavit. Juris utriusque laurea Maceratae fuit decoratus. Apud Sperellios, et Maidalchinum episcopos summo in honore habitus est. Tradendae legis munus philippianis in aedibus aggressus, difficiliores nodos publice dissolvit. Traductus ad archidiaconatum templi principis, et pluries vicaria potestate exornatus, iis in muneribus strenue se gessit. Felix in patria, sed Romae felicior, ab Alexandro VII. anno 1658. ad Vigiliensem infulam erectus fuit. Dein ei demandata est anno 1662. ecclesia Montis Alti, in qua decessit anno 1673. De eo Ughellius, Coletius, et Gallus. Edidit Synodum, quam habuit apud Vigilienses.

CANCELLOTTUS JOANNES BAPTISTA

natus est anno 1598. Romam missus, ut scholas patrum societatis Jesu frequentaret, ita se praestitit magistris indole, pietate, ingenio, ut in societatem fuerit adscriptus. Politioribus literis ab Alexandro Donato viro doctissimo eruditus, philosophicis, et mathematicis disciplinis adjunxit animum. Subin rethoricam profiteri ipse coepit *magna*, uti notat Alegambius, *virtutis*, *et eruditionis commendatione*. Ut quod fama acceperat, re ipsa experiretur Fabius Ghisius cardinalis, qui mox fuit Alexander VII., eum voluit audire, eumque adeo probavit, ut ferme quotidianus adesset illius collocutionibus. Ei in pontificia amplitudine constituto noxarum expiator extitit: ei in multiplici, et onerosa terrarum orbis gubernatione satis voluptati fuit. Quae quidem humanitas Cancellotto intermissa fuit in Alexandri morte; qua de morte, ubi maestissimus locutus est, finem vivendi fecit et ipse anno 1670. Eum commendarunt Puccius, Natanaellus, Alegambius, Ribadeneira, Beughemius, Coletius, Martorellius, aliique. Scripsit. 1. *Vita di S. Severino vescovo settempedano. Romae* 1643. 2. *Vita della venerabile Francesca del serrone*. 3. *De S. Ivone orationes tres.*

4. *Oratio de adventu Spiritus Sancti. Romae* 1642. 5. *Annales Mariani*, quorum mentio occurrit in bibliographia historica, et in bodlejana.

CIAZZIUS ALMONTES a summis viris jurisprudentiam doctus, et Romae forum versans, potuit ingenii vires mirum in modum roborare. Usus familiaritate Hieronymi Vidonii quaestoris urbani, optimatum, et principum virorum gratia floruit. Reversus in patriam, et in clericorum caetum adscriptus, sacris muneribus plurimum contulit. Alexandri Sperellii episcopi auctoritate permotus, in juris explicatione annos plures insumpsit, et fisci partes sustinuit magna cum nominis commendatione. Tandem sacrae animarum procurationi usque ad summam senectutem addictus, parem muneri doctrinae copiam sibi adjunxit. Sunt ejus calami. 1. *Tractatus de confessione rei contra fiscum, et pro fisco. Romae* 1626. 2. *Disceptationes forenses criminales ad reorum defensam. Maceratae* 1630. 3. *Tria aurea consilia pro reis defendendis. Maceratae* 1630. 4. *Tractatus de oppositionibus dandis contra fiscum ad favorem rei. Maceratae* 1646. 5. *Repertorium legale vol. III.* De eo Marangonius, et Collectores bibliothecae picenae nonnulla perstrinxere.

COLLIUS FIDELIS sibi nomen inter praecipuos aetatis suae philosophos, et juris consultos comparavit. Maceratae primum, mox Romae nactus est doctores praestantissimos. Ex decreto decurionum anno 1592. a patriae legibus emendandis designatus, id muneris dexteritate atque ingenio confecit. Plurima sane, et praeclara beneficia a Clemente VIII. in cives per eum sunt profecta. Eum oratorem semel atque iterum audivere Cardinales Legati Marchiae Anconetanae, eumque honoribus cumulatum dimiserunt. Anno 1601. praefectura urbana exornatus, strenue se gessit in illa. A variis Piceni urbibus expetitus, et earum praetor conclamatus, ex iis abscessit auctus praemiis. Quandiu vixit, civibus, et exteris praebuit semper legenda carmina lucide expressa. Ab actis curandis fori literarii Conferentium Floridae dictus, orationem habuit in luco Mariano. Desiit esse in humanis anno 1630. Ejus meminit Fontana.

COLLIUS NICOLAUS in studiis optimarum artium mire profecit. Juris utriusque laurea Bononiae donatus, et ab Asculanorum, et Camertum praefectis accitus, eis a cognitionibus sapientissime fuit. Bononiam iterum

profectus, idem munus apud pro-Legatum exercuit. Mox a Lucensibus expetitus, et Vvir creatus, omnium animos pertraxit in admirationem sui. Item factus Januae auditor, praestantissima encomia sortitus est. Ab hoc aditu honoris abductus, exorante Cardinale Corsio utilem operam ei praestitit in legatione Ravennae. Hinc juri dicundo praefuit Urbini, eam provinciam gerente Cardinale Pallavicino. Auximum cum eo ingressus, et a vice sacra renunciatus, id muneris gessit cum laude. Ad Montisfalisci episcopatum vicaria cum potestate administrandum accersitus a Cardinale Barbarigo, monumenta doctrinae, et virtutis apud omnes reliquit. Admirabili utique memoria, et ingenii alacritate praeditus, eamdem in dicendis sententiis retinuit senio confectus. Otio pio vitam innocentem clausit anno 1710. Scripsit. 1. *Commentaria in universam Aristotelis philosophiam* 2. *Vota criminalia* 3. *Decisiones*, quas laudibus exornant Palma, Mansius, et Fontana.

COLLIUS PETRUS ANTONIUS elegantiores primum literas, tum graviores disciplinas studiose coluit. Per omnes doctrinae gradus ad lauream evectus, fuit jurisconsultus inter

suos illustris, et orator disertus, ac suavis. Cum ejus nomen idcirco celebraretur, Fulginei praetor creatus fuit anno 1480. A Vidone Ubaldo I. urbinatum duce judex eugubinorum declaratus, providentia, indulgentia omnes fortunavit. Urbinum ab eodem duce evocatus, et bibliothecae praepositus, diu versatus est intima ejus familiaritate. Nec Vido ejus ingenio tantum, sed consilio etiam in administranda republica usus est una cum Bembo, Sadoleto, Bibiena, Tibaldeo, et Beroaldo. Domum tandem reversus, justitiam pari abstinentia administravit. Sinceram pietatem usque ad mortem impensissime coluit.

CRIVELLIUS BERNARDINUS vir nunquam cessans, mores, animumque ad sapientiam composuit, patriamque illustravit. Prima aetate usus ipse fnit doctoribus Francisco Antonio, et Marco Antonio patruis, qui inter franciscales adlecti, perhonorificas Neapoli, Aquilejae, et Concordiae gesserunt praefecturas. Anno 1741. Romam missus, ut juri utrique navaret operam, multa publice discutienda exposuit, eaque vivido ingenio tutatus est. Domum reversus, ad sacra se addixit, et prudentia inclaruit. Noctibus quietem subtrahens,

diei ludos, nihil de patriae antiquitatibus ignoravit: neque ipsi in priscis codicibus exemplandis opus fuit peritissimos audire, scripturarum plurium cum expertissimus esset. Quidquid antiqui exararunt majores, quidquid memoratu dignum aut membranis, aut tabulis, aut lapidibus ii commisere, coluit ipse, ipse evolvit, in volumina fidelissime ipse amandavit. Diem obiit supremum anno 1776. Confecit quoque librum, cui titulus: *Iscrizioni esistenti nelle chiese, e in altri luoghi pubblici della città, e diocesi di Sanseverino.* De eo Panelius.

DIAMANTINUS CATERVUS praeditus ingenio praestanti, illud in politiori literatura Bononiae exercuit. Grecae linguae peritia fuit clarus, et latine scribendi facultate insignis. Neque laudem ipse in oratione soluta tantum, sed in versibus etiam est assecutus, in quibus tam erat Catullo similis, quam ipse Catullus sibi. Cum lepore elocutionis utriusque linguae laureatus conjunxit caesarei ac pontificii juris scientiam singularem. Sed brevi se subduxit e foro, et Maceratensium rogatu rhetoricam docere publice caepit sua cum nominis celebritate. Ast hic diu mi-

nime versatus est: nam honestissimis praemiis invitatus, ad Ariminenses se contulit, in quorum urbe Quintiliani institutiones exposuit. Mox a Patavinis anno 1633. accersitus, ea in vetustissima ingenuarum artium, et disciplinarum sede humaniores literas tanta ingenii felicitate tradidit, ut tantum ei stipendium anno 1639. decretum, adauctumque fuerit, quantum haud scio, an unquam antea nemini. Docente Diamantino, concursus audiendi causa ex tota Italia fiebant: magna juvenum frequentia gymnasium celebrabatur. Dum ita ipse Patavii summa virorum commendatione florebat, naturae debitum persolvit anno 1640. Neque uberius cujusquam vita laudari potuit, nec mors dolentius deplorari. Laudarunt eum Naudeus, Thomasinius, Ruelius, Clementinus, Lancellottus, Colucius, et Collectores bibliothecae picenae. Scripsit. 1. *Orazione nell' esequie di Luca Sempronio riminese vescovo della Città di Castello. Arimini* 1616. 2. *Pro politioribus literis in gymnasio maceratensi oratio. Maceratae* 1624. 3. *Descrizione degli archi, e delle statue erette in Rimini nell' ingresso del vescovo Angelo Cesi. Venetiis* 1628. 4. *Atrii poetici prolusio, quam Juve-*

nalis interpretationi praemisit Caterrus Diamantinus Sanctoseverinas in gymnasio patavino politioris literaturae professor in paritate primae sedis. Patavii 1635. 5. *Ad C. Svetonii Tranquilli XII. Caesar. hist. prolusio. Patavii* 1636. 6. *Ekasticon Philippo Mengarello.* 7. *Epigrammata varia.*

DIVINIUS FRANCISCUS clericalem viam ingressus est. Multiplici rerum notitia delectatus, historiae, et mathesi se addixit. Poeticis studiis vehementer accensus, Innocentii Frugoni poemata evolvit, ejusque in adyta penetravit. In Arcadum, Umbrorum, et Aborigenum caetum admissus, varia lusit pie, erudite, et jucunde. Ob assiduos studiorum labores typsico morbo correptus, in ipso gloriae limine occubuit anno 1780. Si ab operibus ad mores ejus judicium transferamus, dubitare non possumus, quin candidissimum ei pectus fuerit, amantissimumque virtutis. Quae edidit haec sunt. 1. *La Vergine Assunta poema epico. Pisauri* 1769. 2. *Il valore alla real maestà di Federico il grande re di Prussia poema. Æsii* 1774. 3. *La Fortezza componimento drammatico. Camerini* 1755. 4. *Per le nozze del n. u. Bonifazio Tinti con la contessa*

Anna Maria Zappi imolese poema. Fulginei 1710. 5. *Traduzione di Catullo in verso sciolto M-s.* Doluit ejus morte Joannes Alphonsus de-Mendrisio: doluerunt Collectores bibliothecae picenae.

EUSTACHIUS BARTHOLOMAEUS vir celeberrimus, et immortalis, saeculo XVI. tam medicae, quam anatomicae facultatis fuit restitutor, et princeps. Ut omni aevo posteritas tantum virum veneraretur, Severinus Servantius Collius comes monumentum illi in templo maximo Severiano sua impensa faciendum curavit: nos vero ejus elogium italice scriptum edidimus anno 1837. Maceratae. Rogatus, inscriptionem ut conderem, quae ad monumentum figeretur, hanc exaravi.

BARTHOLOMAEO · EUSTACHIO
SEPTEMPEDANO
PHILOLOGO · PHILOSOPHO · MEDICO
PRAESTANTISSIMO
OB · ANATOMICAS · RES . PROLATAS
CERTISQUE · LEGIBUS . DEFINITAS
SEVERINUS · SERVANTIUS · COLLIUS · COMES
VIRO
MEMORANDIS · TABULARUM · INVENTIS
PER · ORBEM · NOTISSIMO
DEDICAVIT
ANNO · MDCCCXXXVII.

EUSTACHIUS FERDINANDUS Bartholomaei filius, intra paternos lares adolescentiam transegit. Virenti adhuc aetate philosophicis de rebus publice disseruit, omnium plausu exceptus. Supra captum ipse agens, et absoluti philosophi, et mathematici ideam representans, medicae facultati se dedit. Doctor renuntiatus, Maceratam concessit anno 1572., ut libros Aristotelis de moribus doceret. Fabio Compagnonio, Mario Lazzarinio, caeterisque clarissimis viris summopere charus, in Catenatorum caetum admissus fuit anno 1575. Varia tum lusit graecis, latinis, ac italis versibus, eique de re universa literaria optime merito ordo maceratensium honorem decurionatus decrevit. Cathedram medicinae in gymnasio romano circa annum 1583. assecutus, eo in munere talem se gessit, ut facile comprobarit, aptiorem ad eam neminem tum eligi potuisse. Cum aliquandiu eam tenuisset, ei ultro civitatis jus romani detulerunt. A maceratensibus iterum expetitus, et amplioribus praemiis adauctus, apud eos logicam interpretatus est. Anno 1591. Fidelem Collium philosophica laurea decoravit. Medicam quoque artem inibi supra laudem exercuit. Haud multo post Romam reversus

est, eaque in urbe, assiduus in evolvendis graecorum philosophorum libris, obiit anno 1594. Inter ea quae edidit, praecipue memoratur *de vitae humanae a facultate medica prorogatione disputatio ad Sixtum V. p. m. picenum Romae* 1589. De eo Chartarius, Carafa, Memeklinus, Civallus, Missorius, Panelius, Aurispa, Gallettus, Collectores bibliothaecae picenae, aliique. Confer elogium Bartholomaei Eustachii a me editum.

EUSTACHIUS MARIANUS Bartholomaei pater, graeco atque latino sermone naviter instructus, in exponenda, declarandaque re medica aevi sui doctores facile vicit. Is rectam, et brevem, quae ad scientias ferret, viam Bartholomaeo, et Fabricio filiis monstravit, eosque docuit hebraice, graece, ac latine. Haec Pamphili, Durastantis, et Panelii sermonibus sunt comprobata. Senex rebus gestis domi, forisque clarissimus, denatus est anno 1537. circiter.

FRANCHIUS LEONARDUS ex Trusciae comitibus ad omnem humanitatem graece, et latine institutus, Senas se contulit, ut medicinae vacaret. Ibi aetate non magna non modo aequales medendi felicitate anteivit, sed in

ipsius lycei celebritate versatus, medicinae cathedram tenuit, splendidosque honores est assecutus. In patriam reversus, et muneribus publicis auctus, non potuit etiam pro re literaria nostra non plurimum laborare. Anno 1528. Romam ingressus, coram Clemente VII. pro picentibus fecit verba, eique gratulatus est de redintegrata cum Carolo V. amicitia. Gratissimus Antonio de Monte cardinali, et episcopo albano floruit romae pius, sapiens, comis, benignus usque ad annum 1530. circiter, in quo e vita migravit. Eum laudarunt Bullandus, Ferrarius, Baldassinius, Baudrandus, Lilius, Civallus, Marangonius, Panelius, Turchius, aliique. Scripsit. 1. *De antiquitatibus septempedanorum*. 2. *De ss. Severini, et Victorini fratrum gestis*. 3. *Vita s. Bentivoli septempedani ex nobili familia Boni*. 4. *Poesie italiane*.

GENTILIUS ROVELLONUS BERNARDUS quum vitae exemplo, atque doctrina commendaretur, Æsii primum, mox domi inter sodales philippianos cooptatus est. Opes, et studia omnia contulit ad picentum, et patriae historiam illustrandam. Anno 1725. Romam profectus, et inter hieronymianos presbyteros

oratorii adscitus, muneribus, et honoribus est functus, et antiquas res ardentius dignovit. Hinc nullius expers eruditionis, Marianio, Bremondio, Compagnonio, Leonardio, Acetio, Ruelio, Boldettio, Buccolinio, Martorellio, Marangonio acceptissimus vixit. Ad domesticae laudis studium in posteros prorogandum prisca monumenta collegit. Domum reversus anno 1745., et literulis nostris intentus, octogenario propior interiit. Edidit. 1. *Dissertazione sopra le antichità di Settempeda. Romae* 1742. 2. *Ragguaglio della vita di Bartolomeo Eustachio. Romae* 1740. Alia ingenii sui specimina reliquit, quae in Rovellonae gentis bibliotheca asservantur.

GENTILIUS ROVELLONUS JOANNES JACOBUS ingenio nobili praeditus, in gymnasio firmano politioribus literis vacavit, et suos inter aequales longe praestitit. Romam profectus, ibi philosophorum acita pervidit, et eloquentia, ac eruditione emicuit. Inter italicas fere omnes literarias sodalitates adlectus, poeseos floribus praecipue insedit, et eo auctore, versus numerosi, et ornati prodierunt. Ejus *Adalinda* fuit Neapoli prolata regalibus in scenis, perque omnium ora traducta. Hac fama auctus obiit anno 1705.

GENTILIUS ROVELLONUS JOSEPH in societatem Jesu Romae admissus, tantum vitae innocentia, et literarum studio profecit, ut scriptor pius, disertus evaserit. Consultor fuit adhibitus Romae ac Neapoli negociis ecclesiasticis gravioribus: sodalitatis suae latinis, hispanis, gallicisque literis splendorem adauxit. Procerum familiaritatibus honestatus, egentium multorum rem domesticam constituit aere collato. Morbus longe molestissimus Romae eum insumpsit anno 1759. Plura de eo scripserunt Pascolus, Vinciolus, Marangonius, Catalanius, et Collectores bibliothecae picenae. Ex gallico, et hispano sermone in italum vertit. 1. *Trattato della falsa felicità della gente del mondo composto dal vescovo di Soisson. Romae* 1734. 2. *Considerazioni sopra la prima settimana degli eseroizj di s. Ignazio composte dal p. Francesco di Salazar. Romae* 1734. Scripsit. 3. *Vita di s. Giovanni Nepomiceno. Romae* 1729.; 1739. 4. *La passione, e morte di Cristo in quaranta meditazioni. Romae* 1738. 5. *Vita della v. Rosa Maria Serio carmelitana. Romae* 1738. *Venetiis* 1741. 6. *Vita di suor Gesuarda Acciaccaferri.*

GENTILIUS ROVELLONUS OCTAVIA-

NUS I. ingenio gravi, et vehementi excelluit. Vir omnium disciplinarum genere perpolitus, matheseos praesertim, et jurisprudentiae fama fuit commendatus. Astronomiam etiam calluit, et coelum terrigenis maechanico opere patefecit. Apud Crescentium, Negronium, Alterium cardinales gratia plurimum valuit, et domi forisque civium dignitatem adseruit. Decessit anno 1682. De eo Zaccharia, Appianus, et Collectores bibliothecae picenae. Multa scripsit, et haec in primis. 1. *Delle antiche differenze della città di Sanseverino con i Varani pel castello di Gagliole.* 2. *Degli orologi solari sotto il grado quarantatre.* 3. *Trattati diversi di chiromanzia, e metoposcopia.* 4. *De generatione, et corruptione tractatus.* 5. *Dissertazioni accademiche.* 6. *Trattati legali.*

GENTILIUS ROVELLONUS OCTAVIANUS II. omnes philosophorum disciplinas, omnem antiquitatis, historiae, et graecarum literarum varietatem Perusiae complexus est. Romam profectus, et inter urbanos juris peritos adscitus, doctor fuit omniscius, et argutus. Falconerio, Gentilio, et Spinola cardinalibus in primis acceptus, munera et sacerdotia perhonorifica est consecutus. Sapientia Benedicti XIV. cooptatus

in consilia romanis antiquitatibus interpretandis, scripsit multa cedro linenda. Ipse Pontifex non dubitavit eum pluries carissimis salutationibus recreare, eumque de priscis romanorum nuptiis omnium plausu disserentem adire. Adepta sibi laude per Italiam clarissima, Romae obiit anno 1750. Circumferuntur ab eo typis editi *de Patriciorum origine varietate, praestantia et juribus libri IV. Romae* 1736. Concinnavit historiam concilii chalcedonensis IV., et exposuit, teste Catalanio, canonem XIII., et XX. nicaenum: canonem quoque IV. constantinopolitanum, et chalcedonensem XIV. *Romae* 1736. Libros etiam aliquot confecit, quorum tituli. 1. *Storia del conclave.* 2. *Dissertazioni sulle cose teatrali, e sceniche degli antichi romani.* 3. *Storia dei Colonna.* 4. *Disceptationes forenses*, quibus morte praeventus extremam manum addere nequivit. Gloriam ejus tuentur Ladvocatus, Ariglia, Marangonius, Baldanus, Catalanius, Acetus, Venutus, Vinciolus, Zaccaria, et Collectores bibliothecae picenae.

GENTILIUS ROVELLONUS PAULUS vir fuit armis insignis. Sub Carolo V. inter duces imperiales adlectus est. Coloniam Agrip-

pinam usque cum armato milite profectus, Zuinglianos multoties protrivit, et Lutherum miro astu fuit insectatus. Sed dum Lutherani magnis damnis a Caesare afficiebantur, et in acie non sine multorum hominum caede in Thurincia vincebantur, Paulus ea in pugna, strenue certans in Saxones, occubuit.

GENTILIUS ROVELLONUS TARQUINIUS munditiam latinitatis praecipue adamavit, et diu haesit in cultu orationis, et graviter nec minus ornate locutus est. Bellicam hinc gloriam illius Gentilis aemulatus, qui Paulum IV. strenue erat tutatus in expeditionibus pallianis, rem romanam armis et ipse juvit. A Vidone Ubaldo Friderici filio urbinatum duce expetitus, et honoribus auctus, Franciscum Mariam ducem, in avunculi locum suffectum, literis, et virtutibus imbuit. Jussus praefectus arcis senogalliensis, summa apud omnes existimatione floruit. Tandem domi ut vitae, sic honorum metas attigit anno 1637.

GRASSIUS MATTHÆUS in foro assidue versatus, celebritatem invenit. Eruditio enim ampla, judicium prudens, ingenium eminens, subtilitatis, et acuminis usus pene incredibilis dotes erant ejus eloquii. Ob haec domi magi-

stratus insignes sortitus est. Maceratae, Recineti, Viterbii praetoria potestate exornatus, omnia justitiae detulit. Anno 1453. judex dictus florentinorum, id muneris exercuit sapientissime. In patriam reversus, et orator anno 1458. missus ad Callistum III., civium principatum adseruit. Morum integritate clarus occubuit anno 1476. Ex decreto decurionum ejus in laudem oravit Ludovicus Lazzarellus. De eo Bocculinus, Compagnonus, Dorius, Civallus, Ruelius, et Collectores bibliothecae picenae. Extant multa ejus *Consilia*, et *Diarium* rerum notabilium saeculi XV.

LAURUS FRANCISCUS Bononiam adivit, ut gravioribus disciplinis operam daret. Vitae sibi genus delecturus, domi oblectamenta exhorruit, et respexit ad sacra. Exceptus in ordinem coelestinorum, et missus ad cryptas majellanas in regno neapolitano, austeritate vitae praefulsit. Abbatis insignibus auctus, honestissimas praefecturas sustinuit: honoribus nunquam intumuit. Ingruentibus rei christianae periculis domum repetiit haud ultro, ubi quasi in eremum se abdidit, et ad animi pii delicias ardentius se contulit. Munificum semper aliquid agens, vel cogitans, aedes projectarum mulie-

rum in urbe aperiendas aere proprio curavit. Anno 1829. inter canonicos templi maximi adlectus, aequalem verbis vitam egit: pio fine adquievit anno 1830.

LAURUS VINCENTIUS amaeno ingenio floruit, literis deditus, omnique doctrina ornatissimus. Ab ipsa adolescentia Bononiam missus, diuturnam operam, et utilem in re medica praesertim posuit. Doctor omnium suffragio dictus, et ab urbibus illustrioribus evocatus magna ubique cum laude vixit, et opes sibi maximas comparavit. Scripsit. 1. *Notabilia pro cucurbitulis.* 2. *Consulta medica.* Affulsit gratus ille dies, quo eum reducem excepit patria: at brevi occubuit anno 1667. Ejus meminit Panelius.

LAZZARELLUS LUDOVICUS Alexandri filius picentum omnium, qui saeculo XV. latinas musas tractarunt, a viris doctis citra dubium elegantissimus habitus est. Post Alexandri mortem Camplum in aprutio cum Laurentia Tostia matre sua profectus, auditor fuit Christophori Montonensis, et Æligii Callentii viri clarissimi. Tantum vero iis doctoribus profecit, ut ad omnem humanitatem excultus, magnam in scribendo gloriam

invenerit. A Joanne Antonio Campanio episcopo accersitus, ut fratris aetatem primam moderaretur, domicilium Terami fixit. Posita docendi provincia, Venetiis se contulit, ibique studiosius legit graecae linguae auctores, duce Georgio Merula. Versus tam nitide, pure, et aequabiliter latine scripsit, ut media ex urbe, ipsoque Augusti aevo profecti videri possent. Certe nihil simile picentes haberent, si vel insequenti saeculo scripsisset Ludovicus, vel aetatis suae errores evitare potuisset. Et sane tanta erat in illo scribendi facilitas, tanta rerum et disciplina et eruditio, ut, qui Venetiis ea tempestate literas profitebantur, sentirent se a musis exules esse, cum illum degustabant. Portum Maonem ingressus cum Francisco Justinianeo, et Petro Molinio venetorum legatis, Friderico III. Augusto romam cogitanti adstitit. Ab eo honorabiliter habitus, et poetarum omnium facundissimus dictus, laurea poetica donatus fuit anno 1469. Mox a camertum dynastis accitus fuit, ut nobiliores scientias traderet Fabritio Varano. Eum unum ex omnibus aetatis suae latinis scriptoribus maxime deligendum censuit Laurentius Zaneus venetus, patriarcha antiochenus, cum quo

Romam Lazzarellus profectus erat. Ejus poemata quam maxime in deliciis habuit Carolus VIII. gallorum rex: eaque, auctore Lancellotto, exprimere imitando conatus deinde fuit Sannazzarius. Domum reversus, sinceram pietatem impensissime coluit, et omnibus bonis conlacrymantibus occidit anno 1500. Bene multi auctores ejus vitam concinnarunt. Scripsit. 1. *Bombyx ad Angelum Coloccium honestae indolis puerum.* 1478. *Basileae* 1518. *Æsii* 1765. 2. *Ad Ferdinandum regem dialogus, cui titulus: chrater Hermetis. Parisiis* 1505. 1522. 3. *Definitiones Asclepii Hermetis Trismegisti discipuli ad latina e greco. Lugduni* 1507. 4. *De imaginibus gentilium Deorum ad Fridericum feretrensem urbini ducem.* 5. *Ad christianissimum gallorum regem de fastis christianae religionis.* 6. *Carmen de apparatu patavini hastiludii.* 7. *Eclogae, quae mystice, et allegorice praecipua Salvatoris mysteria continent.* 8. *De morte Catharinae ducissae adriae ad Philippum fratrem patavii juri civili studentem, epistola et prosa et carmine hexametro scripta.* 9. *De spera.* 10. *Orationes.* 11. *De mathesi, et astrologia libri.* 12. *Elegiae, et epigrammata.*

LUTIUS BERNARDINUS rebus sacris procurandis addictus, ea omnia collegit, quae gentis suae decus, et domesticam virtutem referrent. Optima studia maxime colens, prima aetate Romam profectus est, desidiae osor perpetuus. In amplissimum ordinem canonicorum basilicae liberianae admissus, ei gravioribus in rebus consilio, et opera non unquam defuit. E sede honoris ab ingruentibus ecclesiae hostibus exturbatus, pro fide, et principe quaeque fuit perpessus. Juribus pontificatui maximo restitutis, Pium VII. amantissimum nactus est, a quo anno 1814. antistes urbanus fuit dictus. In sacra consilia plura dein cooptatus, multa ad res romanas tuendas aggressus est. Utriusque annonae praeses anno 1829. a Pio VIII. jussus, eo in munere integre fulsit. Religio, pietas, innocentia, caeteraeque virtutes, quas habuit in vita comites fidissimas, ei diem supremum obeunti anno 1837. duces ad coelestem patriam convolaturo extiterunt. Sacris virginibus, quibus Romae a Purificatione nomen est, domum aperuit, censumque produxit. Egentium vindicem, et orbitatis solatorem eum experti sunt multi: templa opibus auxit, donariis ornavit.

LUTIUS FRANCISCUS MARIA inter antistites urbanos adlectus, et perhonorificis muneribus honestatus, naturae multum vixit et gloriae. Nos ejus elogium scripsimus in volumine I. pag. 296.

MARGARUTIUS ANDRÆAS per otia literarum gestiens clarescere, decus addidit natalium magnitudini. Mantuam missus, et a Gonzagis principibus in fidem receptus, diu cum illis versatus est, diu iis graviora negocia gerentibus adfuit, si minus aetate, ingenio certe, atque virtute jam reipublicae idoneus. Honorem adeptus est amplissimum, cum secutus ipse fuit in germaniam Eleonoram Gonzagam, quae Ferdinando imperatori nuptui tradebatur. Charus fuit cunctis, et multum apud principes gratia valuit. Domum reversus, et populi sermonibus commendatus, obiit anno 1720.

MARGARUTIUS ANNIBAL Alexandri filius natus anno 1570. , avitae gloriae limites est supergressus. Institutio ejus, si quae alia, liberalis fuit, capaxque ingenium artibus graecis, atque latinis egregie imbutum. Maxime vero mathesim ipse adamavit, qua inter aequales excellere coepit adolescens. Sed brevi raptus

ad arma, apud Italos non minus, quam exteros virtute emicuit. Pedestris, et equestris militiae signifer dictus, et Avenionem cum Philippo Saga cardinale placentino profectus anno 1592., in hugonotos strenue pugnavit. Quando Clemens VIII. turcis obviam procedere Joannem Franciscum Aldobrandinum jussit, ei et Annibal adfuit dux peditum salutatus. Ubi Strigonium ventum est, et in thraciam re infecta redire turcae sunt coacti; Annibal miras egit caedes ex barbaris, eosque ab arce Visgradensi fugavit. In Italiam reversus, Ferrariam anno 1597. contendit, ut romani pontificis majestatem adsereret. Anno 1601. cum turcarum tyrannus in hungariam denuo irrupisset, eoque Annibal advolasset, ad Canissam usque luctuosas fecit impressiones, hostesque protrivit: hinc jussus Zagabriae tribunus. Anno 1603. Romam ingressus, dignitatis nostrae fuit tutor, et vindex: nam egit, ut Clemens VIII. ad civium praefecturam assumeret Silvestrum Aldobrandinum cardinalem. Subin iter ipse instituit ad domesticos lares, et Sulpitiam Massarelliam episcopi thelesini nepotem duxit in matrimonium. Post haec Africae litora invisit hispanorum dux factus,

et Philippi III. dominatum ad Araccas produxit. Rogatus a Carolo III. duce sabaudiae, plura gessit commendatione digna. A Ferdinando I. etruscorum dynasta maximis praemiis accersitus, in maurusios anno 1609. impetum fecit, Hipponamque occupavit. Dum venetis in illyrico bello strenuam navabat operam, patrimonii divi Petri magister militum, et dux equestris fuit renunciatus. A Paulo V. Ferrariam missus, omnes illius ditionis fines egregie tutatus est. Totus in bello inclinatus, alpes rursus conscendit, et anno 1623. in Vallem tellinam profectus, eam mirifice communivit, exercitus Modaetia discedentis ductor summus adlectus. Anno 1625. ad Clavennae praefecturam elatus, opima ex gallis spolia retulit. Dux rei militaris in aemilia factus, urbinatum fines anno 1626. adivit, et Urbano VIII. jubente, loca praesidiis firmavit. Arcis ferrariensis praeses declaratus, prudentia, fide inclaruit, eique Caesaris, et gallorum Regis obsides custodiendi sunt traditi. Cum tantae in uno homine virtutes eminerent, ejus mors Ferrariae anno 1640. acerba, atque immatura omnibus visa fuit. Virgini Luminum sacravit opes, eamque haeredem scripsit. De

eo Borsettus, Scampolus, Diamantinus, Colucius, aliique.

MARGARUTIUS CICCOLINUS civium, qui sacras res tractarunt, citra dubium peritissimus fuit, religionis cultor eximius. Ubi latinorum dictionem, atque ubertatem domi expressit accurate, Perusiam adivit, ut philosophicis, et legalibus disciplinis vacaret. Anno 1576. omnibus doctrinae insignibus decoratus, ad ecclesiam accessit. Romam profectus, in divi Philippi Nerii familiaritatem est admissus. Dein divo Carolo Borromaeo cardinali archiepiscopo mediolanensi se impendit: ejus in aula versatus est honoribus cumulatus. Borromaeo desiderato, ad vicem sacram gerendam a variis Italiae episcopis accersitus, magnam eo in munere celebritatem invenit Ravennae, Augustae Taurinorum, Papiae, Placentiae, Patavii. Ut otio pio vitam innocentem clauderet, domum reversus ipse est, et obiit anno 1616. De eo Baccius, Barelius, aliique.

MARGARUTIUS CORNELIUS, dum turcae hungariam occupabant, Joanni Francisco Aldobrandino supremo copiarum Clementis VIII. magistro se adjunxit, et dux militum creatus, cum eo Strigonium usque contendit. At ea in

urbis oppugnatione saxorum imbre in exercitum a turcis continenter effuso multum Aldobrandino allatum fuit detrimenti, et Cornelius prostratus est. Verum sibiipsi loricato, et saucio minime parcens, ad maenia scalam rursus admovit, et incredibili audacia ecclesiae vexillum e summa Strigonii arce explicavit. Haud multo post in Italiam reversus, dictus fuit peditum tribunus. Mox ad lauretanam armorum praefecturam assumptus, nihil providentiae praetermisit. Domum reversus, et anno 1605. orator missus ad Leonem XI. et Paulum V., patriae libertatis extitit vindex. At quia nil clades, nil enses obstricti infractum ejus animum e genio suo dimoverant, sibi castra censuit repetenda. Igitur in germaniam perrexit, et pro imperio supra laudem pugnans, Vindobonae occubuit anno 1622.

MARGARUTIUS HYPPOLITUS natus est anno 1577. Adolescens ingenii specimina dedit illustria. In societatem Jesu receptus, et ad quosvis labores literarios promptus et impiger, gravioribus disciplinis fuit insigniter eruditus. Cum Tyburi suis praeesset, incidit in morbum sane gravissimum. Corporis languore omni vita afflictatus, et Christi mysteria in

horas singulas revolvens, castissimos versus effudit. Haec sunt ejus ingenii monumenta. 1. *Rime*. 2. *Egloghe*. *Romae* 1648.

MASSARELLIUS ANGELUS vir fuit scientissimus, episcopus thelesinus, et concilii tridentini a secretis. Eum eximia dignitate ornatum, eum summis defunctum muneribus, eum multis clarum virtutibus uberiori stylo commendavimus in elogio, quod italice edidimus Maceratae anno 1837.

NUTIUS MARCUS MARCELLUS scientiarum varietate fuit illustris, et in dicendo vivax, nervosus, acutus. Hieronymi Franchii patrui exemplo permotus, et principum virorum familiaritate usus, in galliam perrexit. Rogatus a rege, ut publici italici muneris curam susciperet, ea in legatione magnam sibi famam comparavit. Brevi aemulorum invidia excecatus, et extremis sacris rite munitus, jam depositus erat; quando eum luctantem cum morte Mater Luminum respexit clementissime. Valetudini restitutus, galliam non sine procerum maerore reliquit. Domum ingressus, Servatrici Divae ex religione votum exsolvit, et sinceram pietatem impensissime colens, denatus est anno 1627.

NUTIUS VENANTIUS natus anno 1599., florenti adhuc aetate militiae nomen dedit, et audacter se gessit in rheticos, dux semper in agmine. Tribunus peditum factus, et ab Innocentio X. missus ad Castrum, multum filiciter egit, ut duci parmensi Castri imperium auferretur. Ea in recepta ditione armorum praefectus renunciatus, omnia consilio sustinuit, virtute firmavit.

PAMPHILUS CYNTHIUS ab ineunte adolescentia Romam missus, ad optimarum artium studia se totum contulit, doctore episcopo thelesino patruo. A Hieronymo Landrio cardinale archiepiscopo brundusino in fidem receptus, et oritano canonicatu auctus, eum arduis in negociis adjuvit. Ob ejus excellentem in omni latine scribendi ratione praestantiam dictus concilii tridentini notarius, et in subsidium rerum secretiorum vocatus, delata sibi munera summa laude administravit. Iis fulgens honoribus, priorem gerere in ecclesia nostra haud fuit dedignatus. Diem clausit supremum anno 1574.

PAMPHILUS FRANCISCUS sapientiae famam incredibili ardore concupivit. Ad graecos primum flores advolavit: mox in philosopho-

rum scita se immisit. Antiquitatis etiam studiosissimus, multorum nomina immortalitate donavit. Faciles, expeditae, Ovidii colorem undique redolentes, ei latinae musae fuerunt in conscribendis picentum fastis. Anno 1535. domi ipse occubuit. Joannes Matthaeus Durastantes anno 1575. Maceratae praelo commisit Pamphili poema, cui titulus: *picenum*, *hoc est de piceni nobilitate et laudibus*. Eum praedicant Compagnonus, Justinianeus, Ughellius, Thomasinius, Lilius, Antonellius, Lancellottus, Baccius, Civallus, Barelius, Tondinus, Tiraboschius, Panelius, Colucius, Marangonius, Collectores bibliothecae picenae, Leopardus, Cantalamessa-Carbonius, aliique.

PAMPHILUS GANYMEDES Cynthii pater, indolem latinae, atque italicae linguae apprime excoluit, et laeta quadam ubertate nituit. Doctrinam juris, non perfunctorie haustam, domi, forisque cum laude dixit. Bene paratus a natura, lusit varia, et expectationem quam sui concitaverat, sustinuit, Firmi, et Cortonae cooptatus in caetum literarium. Scriba concilii tridentini fuit, antequam Cynthius ad id muneris eligeretur. Corona poetica ex more temporum fuit donatus. Edidit. 1. *Istorico*, *et poeti-*

co libro. Camerini 1582. 2. *Pianti della gloriosa Maria in ottava rima. Camerini* 1578.

PANICARIUS DOROTHEUS humanioribus literis institutus, juri caesareo, et pontificio operam navavit. Barnabitarum societatem professus anno 1613., vitae integritate fulsit. Ita Joannis Baptistae Magnantii viri pientissimi amorem promeruit. Ad honores assumptus, nec quidquam de austeritate morum remisit. Gentes eloquio instruit: omnium concordiam unus vel maxime auxit. A Paulo V. Romam vocatus, sui contemptum dignitatibus antehabuit. Cardinali Centinio episcopo maceratensi carissimus vixit. Extremum aetatis domi exegit suos inter sodales anno 1665. Scripsit. 1. *Rose, e fiori. Maceratae* 1628. 2. *Pensieri spirituali. Maceratae* 1629. 3. *La Vergine poema. Maceratae* 1630. 4. *Regole delle orfanelle Berarde. Maceratae* 1628. 5. *La dottrina spirituale. Maceratae* 1637. 6. *Le indulgenze de' sette altari. Maceratae* 1637. 7. *Gli aforismi claustrali. Anconae* 1638. 8. *Applausi spirituali al Bambino di Betleme rappresentazione. Maceratae* 1628. 9. *Vita della pia Francesca del Serrone.* Eum laudant Pezzius, Barelius, Crescentius, Gavantus, et Ungarellus,

qui nunc inter Barnabitas doctrina splendet uti sydus fulgentissimum.

PARTEGUELPHIUS PATROCINIUS vir fuit ingenio, pietate, ac modestia ornatissimus. Ad omnes literarum delicias Urbini excultus, et in arcanis prudentiae civilis supra laudem exercitatus, patriae novum ipse addidit decus. Camerini sublimioribus doctrinae gradibus auctus est. Magno in pretio habitus ab iis, qui forum, publica opinione primores, profitebantur, Romam adiit. Dictus adjutor Joannis Priuli, qui inter XII. viros stlitibus appellationum judicandis tunc erat cooptatus, gessit multa probantibus omnibus. In maceratensi auditorio anno 1800. judex designatus, picentum voto respondit. Cum res romanae in deterius ruerent, domum repetiit, ubi publicis negociis consuluit, civiumque jura ultro defendit. Pace reddita ecclesiae, illustria in maceratensium praesidis consilium admissus ipse peregit. Episcoporum nomine jus dixit inter nos abstinentissimus, et egentium inopiam sublevavit. Mortuus est anno 1837.

PELLICUS SEBASTIANUS per militiam juventam strenue exegit in Germania. Ab Urbano VIII. ad tifernatum fines propugnandos

missus, cum valida manu Cisternam contendit. Ea re cognita, etrusci propius oppidum castra moverunt: sed tanto impetu Pellicus irrupit in eos, ut multos peremerit ante conflictum, reliquos omnes in fugam conjecerit, commeatu armisque interceptis. Inde in Moncresium infesto agmine profectus, Cellense propugnaculum opportuna circumventum celeritate debellavit, murosque diruit. Mox Sanctumjustum virtute cepit incredibili, seque ad omnia pericula obtulit impavidum in agro Biturgiae. Destinatus Meldulae magister, eam circum adjectis munitionibus communivit. Ad Antiatis praesidii imperium missus ab Innocentio X., aestuantes Neptuni tumultus compescuit, multumque in sui gloriam adjecit. Dux sive in otio, sive in negotio cautissimus habitus, plura gessit pro re romana ad ferrariensis arcis praefecturam evectus. Vir ingenio summo ab ineunte adolescentia mathematices, et legum studia adamaverat. Ferrariae desiit esse in humanis anno 1655. De eo Borsettus.

PROCACCIUS NICOLAUS Lemmi filius, fuit armis, ingenio, et animo excelsus. Humanis, divinisque literis accurate excultus: utriusque juris doctor fuit. Ab Astorgio de Agne-

tibus episcopo anconetano, et marchiae vicario anno 1427. Barbarae praefectus designatus, ob multa fortia facinora nomen illustre sibi comparavit. Anno 1444. ab equite Smedutio comiter acceptus, Gallii propugnaculum habuit in fide, quod mox, jubente Honuphrio Smedutio a vice sacra religionum urbis, Galeotti de Agnetibus Francisci Sfortiae oratoris voluntati permisit. Concordiae civium adsertor, amantissimos expertus est Malatestam e Malatestis, Antonium Vidonem e patavio, et Ludovicum Medioratam cardinalem magni nominis apud picentes. Ob haec in pretio habitus ab Eugenio IV., anno 1445. praetor Genesinorum factus est. Anno 1446. ad urbem Castrum eodem cum imperio traductus, vi dicendi difficultates temporum vicit. Usus valetudine haud firma, domum rediit, et mortuus est anno 1475. circiter. Scripsit. 1. *Cronaca, ossiano memorie istoriche dal* 1293. *fino al* 1474. Commendatur a Dorio, et a Colucio.

PUCCITELLUS CASSIANUS anno 1610. inter Barnabitas cooptatus, eximius eloquentiae cultor evasit. Arguta ipse adamabat, brevium sententiarum copiam sequebatur, et veluti flosculis quibusdam orationem suam exor-

nabat: in eam enim inciderat aetatem, quae nativum scribendi leporem omnino attriverat. Postquam mediolanenses praesertim, et siculi ejus dulcedinem degustarunt, Romam adscitus fuit, et splendida munera obivit. Mox Pisis Barnabitarum bono impensissime prospexit; eaque in urbe sublatus, omnium lacrymas elicuit. Ejus meminit Colucius.

PUCCITELLUS CÆLESTINUS, alter Barnabitarum splendor, ortus anno 1589., omnibus sapientiae arcanis Romae fuit naviter institutus. Mirifica dicendi ubertate pollens, et declamationibus sacris constanti solertia intentus, Florentiae, Genuae, Romae, Mediolani, Neapolis verba fecit. Ab iis, qui Genuae rerum potiebantur, accersitus anno 1629., gravissima de re in senatu est elocutus. Cum nemo fere doctus esset in Italia, qui eum non faceret magni, et cum fama ejus etiam trans alpes pervagaretur, Uladislai IV. regis Poloniae gratiam nactus ipse fuit. His de rebus permotus Urbanus VIII., literis humanissimis eum recreavit, eique jussit, ut Romam peteret. Anno 1637. dictus episcopus Scalae et Ravelli, ob dignitatem adeptam, et ob negotia literarum studia non omisit unquam. Haud

multo post domum reversus, inter suos aegrotavit. Eum anno 1642. morte sublatum doluit civitas universa. De eo Lucetius, Ughellius, qui erravit in anno emortuali, Ruelius, Cinellus, Barelius, Richard et Giraud, Colucius, Ungarellus. Edidit *il nodo gordiano. Genuae* 1629.

PUCCITELLUS SEVERINUS inter franciscales adlectus, adolescens adhuc tam aperta et profunda disceptandi ratione Romae usus est, ut unus omnium doctissimus habitus fuerit. Theologiae magisterio donatus, et Caesenae, Urbini, Florentiae, et Asisii legens, nullum commendationi modum imposuit. Studio religionis incensus, fuit Pisis, Florentiae, Prati, Ferrariae nobilis, et copiosus orator. Dolemus, quod ejus ingenii monumenta intercideriut omnia. Summa utique jactura: recte enim Teulus inaestimabilem eam dicit *in triumpho seraphico* Velitris edito anno 1655.

PUCCITELLUS VIRGILIUS natus anno 1599. iis, quae ad studia et artes humanitatis pertinent, solertissime excultus, italice, et latine scribendi felicitate aequales anteivit. Romae aliquandiu moratus, pari ingenii ubertate omnes scientiarum partes conjunxit: et rhetorum exercitatione adhuc calens, musarum cho-

ros est ingressus, easque novis floribus opplevit. Sed italico caelo nuntium ipse remisit, et Varsaviae consessus, splendidos honores fuit consecutus. Ea enim in fori literarii celebritate versatus, doctrinae palmam tenuit: et familiaritate usus Uladislai IV. poloniae, sveciaeque regis, anno 1634. scriniarius a negotiis publicis Italiae dictus est. Tam honorifico, et gravi munere donatus, a musarum cultu non declinavit, et lusit plura universorum commendatione probata. Uti pacta conventa praestarentur, orator ad Philippum IV. utriusque siciliae regem renunciatus, Philippi Guillelmi comitis palatini res studio fovit incredibili. Vinculorum metus, et hostium furor eum non deterruit a fide, ac pietate in Joannem Casimirum Uladislai fratrem, qui Ludovico XIII. galliarum rege jubente in arcem Cisteronensem conjectus fuerat. Mira enim dexteritate principem adivit, eum periculis circumventum expedivit, honoribus idcirco exornatus. Amorem etiam promeruit Innocentii X., qui eum canonicum lanciciensem jussit anno 1645. Ubi regnum poloniae Joanni Casimiro delatum fuit anno 1648, illustres eo in imperio partes sustinuit Virgilius. Sed brevi domum reversus,

ut bonae valetudini studeret, vitae cursum anno 1654. peregit, laudatus a Wassembergio, et a Ciampolo. Edidit. 1. *Il ratto di Elena dramma. Vilnae* 1636. *Varsaviae* 1638. 2. *Arianna abbandonata dramma. Varsaviae* 1641. 3. *Narciso trasformato favola pastorale* 1638. 4. *s. Cicilia dramma.* 1637. 5. *La maga sdegnata* 1640. Virgilii opera, et virtutes studio summo notantur in Uladislai, et Joannis Casimiri literis, quas vidi penes Dominicum Valentinium, civem nostri studiosissimum, et strenuum literarum cultorem.

SCAMPOLUS JULIUS natus anno 1616., facundia, et eruditione antegressus est omnes. Ingenio erat ardenti et excelso: laborem non ferebat tantum, sed accersebat ultro, ac provocabat. Italicis et latinis munditiis imbutus, et anno 1631. in caetum Barnabitarum adlectus*, ad studia graviora animum Romae ita applicuit, ut posset videri in succum veluti, et sanguinem philosophorum scita convertisse. Iis nedum contentus, omnes scripturae interpretes legit: nec ab ea animi contentione unquam cessavit, etsi modo Quintiliani, modo Aristotelis tradendi munus aggressus esset. A Joanne duce austriaco regius historiographus, at-

que cosmographus dictus, honores renuit constantissime. Domum reversus, occubuit anno 1688. Memoriam sui posteris reliquit his in scriptis. 1. *Apollo vaticinante. Maceratae* 1644. 2. *Vita della venerabile Francesca del Serrone. Maceratae* 1649. 3. *Discorso apologetico in difesa della milizia ecclesiastica. Fulginei* 1644. 4. *Diana idilio. Perusiae* 1658. 5. *Picenum. Maceratae* 1654. 6. *La tromba eroica. Astae Pompejanae* 1647. *Maceratae* 1649. 7. *Tractatus de Summulis.* De eo Cinellus, Barelius, Pezzius, Marinonius, Ruelius, et Ungarellus.

SERVANTIUS filius Radivisii solertem rei literariae operam navavit eo in saeculo, quo bonarum artium splendori non parum contulerat in Italia Fridericus Ænobarbus imperator. Is legum peritia, et generis nobilitate clarus, vicarii munus anno 1235. apud maceratenses sustinuit. Et quia longe, lateque diffusa lues factionis guelphorum Gregorio IX., et gibellinorum Friderico II. faventium adeo infecerat Italiam, ut nullum prorsus esset oppidum intactum ab ea; is clarius ostendit, quam felix in negotiis, constans in periculis, gravis in muneribus esset. Ejus meminit Com-

pagnonus *in regia picena*. Vide etiam foleum XVI. libri, cui titulus. *Sopra alcuni uomini illustri delle famiglie picene Grimaldi Gentilucci Servanzi cenni storici scritti dal canonico Giovanni Carlo Gentili nella esaltazione di monsignore Filippo Xaverio de' conti Grimaldi alla sedia vescovile di Sanseverino. Maceratae* 1838.

SERVANTIUS ALPHONSUS humanioribus literis Romae instructus fuit a Roberto Bellarmino e societate Jesu. Anno 1593. Papiam missus, ut jurisprudentiam decerperet a Sfortia Oddio perusino, et a Marco Antonio Rovescalio papiense, in exemplum ingenii omnibus fulsit. Doctor jussus anno 1597., et mox inter perusinos judices cooptatus, omnium laudes ipse promeruit. Subin domum reversus, sacra tractavit, dictus canonicus templi principis. Anno 1608. saliciensi sacerdotio auctus in agro trevicano, aliisque honorariis insignibus decoratus, in ecclesiam omnes ingenii sui opes vertit, ab episcopis expetitus ad vices sacras obeundas. Bonifacio Cajetanio cardinali in primis fuit acceptissimus.

SERVANTIUS ANTONIUS FRANCISCUS fuit omnium disciplinarum abunde peritus.

Romae ingenium exercuerat in rhetorum deliciis, communi approbatione susceptus. Ab Alexandro de Angelis e societate Jesu in philosophorum dogmata immissus, infractam vim hauserat in disputando. Anno 1593. anastasiano titulo in samnio insignitus fuit: mox patavium profectus, studio pertinaci se extollere supra caeteros jurisprudentiae cultores gestivit. A cardinale Bevilacqua accersitus, maximis negotiis perfunctus est. Factus proepiscopus trevicanus, munus consilio sustinuit. Post haec lares revisit canonicus designatus, et ab antistite sacris rebus praepositus. Nulli morum integritate impar, mortuus est anno 1623.

SERVANTIUS ASTOLPHUS omni artium, et scientiarum genere inclaruit. Cum episcopo thelesino, qui ad concilii tridentini acta curanda provectus fuerat, tridentum adivit. Ab eo in partem laboris adscitus, per omnem doctrinarum cultum decurrit, laudem et admirationem a Patribus aucupatus. Ab eloquentiae fuco alienus, concilii acta diurna scripsit, et novam Pallavicino cardinali veluti lucem eruditionis accendit. In divi Francisci societatem receptus, quà legendo, quà concionando

uberrimos sapientiae fructus reportavit. Ad provinciae praefecturam assumptus, totius Italiae vicarius delectus, magis ostendit, quantum animo, quantum voce valeret. Celebrant vires ingenii ejus Pallavicinus, Sbaralea, Justinianeus, Ludovicus Jacobus e Sancto Carolo, aliique.

SERVANTIUS CAMILLUS ab ineunte aetate tyrocinium posuit in bello. Quando Paulus III. ad Centumcellas subsistens bene precatus fuit exercitui in Africam trajicienti, is ecclesiae triremes conscendit, et anno 1535. ei adfuit pugnae, ex qua Guletae munitiones, et Barbarussae classis universa in Caroli V. imperatoris jus concessit. Ubi Tunetum versus promotus fuit belli apparatus, et omnes turcarum copiae in fugam conjectae sunt, inter Hispanos, Germanos, Italosque duces Camillus eam irruit in urbem. Hac pugna pugnata, et Caesare ab Africa solvente, Camillus cum Virginio Ursino pontificiae classi praefecto siciliam contendens Romam pervenit, ubi vixit diu Paulo III. charus. Non filio, non patri, non fratribus unus in una domo erat consensus, non proceribus eadem voluntas, cum ipse domum repetens factionum impetum su-

stinuit, Petro Gentilio Servantio consule anno 1563. inter alios curante, ut pax aliquando conficeretur.

SERVANTIUS CLEARCUS natus anno 1557., a prima pueritia totum se contulit ad arma. Dux conclamatus, Pannoniam cogitavit, et Hungariae rebus turcarum multitudine laborantibus praesto fuit, Palmilii gentilis sui gloriam aemulatus. Plures Clearcus hosti orientali palmas ademit, et in Italiam reversus, Clementis VIII. gratiam promeruit. Comitis titulo ab eo donatus, et ad Rodulphum II. caesarem missus, feliciter contra turcas dimicavit.

SERVANTIUS FULVIUS eximiam ingenii indolem studio literarum excoluit. Romam profectus, juris peritiam gravioribus disciplinis adjunxit. A Flavio Ghisio cardinale in clientelam receptus, apprime expressit, quanto reipublicae christianae studio flagraret. Ineundo contra haereticos faederi inter Leopoldum caesarem, et Ludovicum XIV. regem galliarum pontificis nomine cum Ghisio interesse jussus, id negotii Lutetiae Parisiorum feliciter perfecit. Anno 1672. a Clemente X. lectus antistes urbanus, et summo in pretio habitus a Christina regina svecorum, arduis in rebus

fuit continuo distentus. Pius in caelites beatos, in primis Nicolaum, templum marianum in Via Lata praetiosis ornamentis, sacraque supellectili ditavit et auxit, canonicus inibi factus. Sacrorum rituum splendidus auspex, scripsit plura, in quibus solers ejus ingenium, multiplexque doctrina dignoscitur. Laudatur a Gattico, et a Festino.

SERVANTIUS GASPAR juris caesarei peritia, et morum probitate fuit eximius. Ejus acerrimam ingenii aciem publicis in rebus tractandis diu perspexit Antonius Barberinus cardinalis, dum apud bononienses, et galliarum regem legationem gerebat. Pro navato feliciter munere dictus antistes urbanus, mox inter canonicos vaticani templi ab Innocentio X. adlectus, variis in negociis sui laudem mirifice auxit. Major de illo apud multos expectatio erat, cum mortem oppetiit.

SERVANTIUS GREGORIUS ortus anno 1565., Romam humanis literis operam navaturus contendit. Nondum ex ephebis excesserat, cum inter dominiciales relatus, et Perusiam primum, mox Neapolim profectus, doctrinae insignibus decoratus est. Romam missus, ut divina traderet, sui famam quotidie promovit. Ad illu-

striores Italiae urbes orator sacer designatus, morum innocentia eloquium reddidit splendidius. Magistro palatii apostolici socius additus laborum, omni doctrinae genere inclaruit. Propter belli tumultus, quibus Alphonso II. estensi demortuo Ferraria turbabatur, illuc missus a Clemente VIII., in exercitu conciones habuit. Postquam mira peregit pro juribus ecclesiae tutandis, rursus anno 1598. iter Ferrariam versus cum Pontifice instituit VIII. idus majas. Tum Petri Aldobrandini cardinalis amorem sibi conciliavit, et ei difficillimis in negociis adfuit. Nuncupatus episcopus trevicanus, hac praefectura fuit dignior, eo quod eam minus ambierat. Post menses aliquot ab infula collata Romam reversus, egregium humilitatis praebuit exemplum, tum quando episcopatum abdicavit. Inter Paulum V., et rempublicam venetam controversia exorta, omnes curas ad sacerdotii imperium vindicandum transtulit. Cum ex stomacho laboraret, Romae, ac literis valedixit, et Camerini acquievit anno 1608., titulo honestatus a Nicolao Rodulphio supremo dominicianae gentis magistro. Scripsit. 1. *Difesa della potestà, ed immunità ecclesiastica. Ferrariae* 1607. *Bononiae* 1607. 2. *Trattato*

morale. 3. *Considerazioni sulla morte di Cristo*. 4. *Discorsi morali*. De eo Pius, Ughellius, Echardus, Fontana, Cavalerius, aliique.

SERVANTIUS JOANNES filius Joannis fuit juris civilis scientia praestantissimus. Quando oppidum nostrum venit ad arma consilio rapiendi, vastandi, miscendi Smedutiorum omnia, is concitatae multitudinis clamores compescuit, is orator anno 1426. Romam Martino V. fuit missus, ut res magni negocii cum pontifice in consilio haberet. Cives sibi arctius devinxit ob municipii leges emendatas.

SEVERANUS JOANNES fuit vir mentis acerrimae. Quibus doctorum hominum familiaritatibus floruerit, quam ad bene de antiquis ecclesiae rebus merendum incensus, quam in pie vivendo constans fuerit, colligitur ex iis, quae dedimus sub pagina 293. vol. II. Ad ejus vero gloriam in dies augendam nos elogium italice scripsimus, quod Maceratae prodiit anno 1838. Severinus Servantius Collius comes in sacra philippianorum aede ei ex suo titulum posuit, quem ita pertexendum putavimus.

JOANNI · SEVERANO
DOMO · SEPTEMPEDA · PHILIPPIANORUM : SODALI
ORATORI · THEOLOGO · CLARISSIMO
OB · ANTIQUAS · CHRISTIANORUM · RES
AD · INCREMENTUM · LITERARUM
SACRAE · QUE · URBIS · CULTUM
ILLUSTRATAS
SEVERINUS · SERVANTIUS · COLLIUS · COMES
LOCUPLETATORI · OPERIS · BOSIANI
INAUGURAVIT · ANNO · M. · DCCC. · XXXVIII.

TALPA ANTONIUS natus anno 1536. a tenera aetate graecis, latinisque literis fuit naviter institutus. Perusiam missus, ut juri divino atque humano vacaret, ex eo mirificos tulit fructus. Publicam doctrinae et abstinentiae laudem est consecutus, Segniae primum, mox Caesenae, Spoleti tandem praetor conclamatus. Haud multo post in ecclesiae disciplinam receptus, Romam se contulit. A Philippo Nerio suos inter sodales adlectus fuit, et de Antonii consilio multa constituit. In exponendis sacris voluminibus mira fuit ejus felicitas. Praefectus datus bibliothecae vallicellianae, eam libris et codicibus longo studio congestis adornavit. Camilli de Lellis, et Caroli Borromaei familiaritate usus, habuit affatim unde pietatem aleret, atque expleret. Ad Oratorii societatem insti-

tuendam Neapolim missus a Nerio cum Francisco Maria Tarugio, grandi impensa, parique animi magnitudine ecclesiam, aedem a fundamentis erexit, aperuit, datis ad tuitionem annuis vectigalibus. Domum etiam virginibus, quarum nomen erat a S. Josepho, aperiendam, atque exornandam supra omnium vota curavit. Solutam disciplinam ipse reformavit: egentium rem familiarem constituit: literarum studia nunquam intermisit, et in operibus perficiendis Bozium, ac Baronium, ut ipsi tradunt, mirifice adjuvit. Nec ullum fuit xenodochium, nulla sodalitas Neapoli inventa, quae non ejus saepe opem, auxiliumque sensisset. Caelestis patriae desiderio unice flagrans, pie, et sancte diem suum obivit anno 1624., a Binago, et a Maccionio publice laudatus. De eo Baronius, Bozius, Albericius, Vitelleschus, Berardelius, Tapius, Marcianus, Marangonius, aliique. Scripsit. 1. *Trattato sopra i confessori.* 2. *Modo di conservare l'osservanza religiosa.* 3. *La vigilanza de' vescovi per la disciplina ecclesiastica.* 4. *Insegnamenti per sermoneggiare.*

TALPA HIERONYMUS natus est anno 1654. Multiplici literarum disciplina institutus,

Innico Caracciolo cardinali archiepiscopo variis in negociis Neapoli summa cum laude praesto fuit. Cum eo Romam ingressus, adfuit comitiis pro creando pontifice, et Innocentii XI. studium raro virtutum exemplo sibi comparavit. Haud multo post patriam revisit, et uxorem duxit Valentinam Gentiliam Rovellonam. Publicis in rebus adhibitus, prudentiae commendatione acceptus fuit omnibus. Labores suos reliquos usque ad ultimam senectam picentum, et nostratium historiae patientissime devovit, eamque illustravit. Vir fuit integrae fidei, et anno 1738. abiit e vivis maximo civium luctu, qui ei in sacra Laurentiana aede parentarunt. De eo Riccius eques, et Gentilius. Reliquit. 1. *Memorie dell' antica, e nuova Settempeda vol. V.* 2. *Origine della famiglia Gentili di Rovellone.* Haec scripta libens inspexi apud Josephum Ranaldium, qui multis in partibus ea scitissime adauxit, emendavit.

TALPA METELLUS multum facundia valuit. Romae humanarum divinarumque rerum sapientia effulsit, usus doctore Marco Antonio Eugenio viro juris consultissimo. Postquam causas ipse attigit, et forensi contentione in-

volvi se passus est, splendidam eo in munere famam invenit. Urbanis praesulibus gratissimus, et Ghisio, Odescalchio, Merliano in primis, varia consecutus est officia, et officiis digna stipendia. Ad aulae suae decus ab Innico Caracciolo cardinale archiepiscopo expetitus, et vicaria cum potestate Neapolim missus, catholicam veritatem adseruit, ecclesiasticam disciplinam instauravit, canonum contemptores coercuit. Vere magnus, et jure meritoque ab omnibus, et praesertim a Petro ab Aragonia prorege declaratus ecclesiae Neapolitanae vindex, moritur anno 1674. Scripsit plura *consilia legalia*.

TINTUS PHILIPPUS ingenium habuit sublime, et ex flumine tulliano mira deduxit. Lectus in caetum Barnabitarum, historicos, philosophos, theologos omnes pervidit, eosque publice professus est. Perbelle paratus a natura, Patávii, Augustae Taurinorum, Genuae, Mediolani, Romae e suggestu locutus ipse fuit. Ejus ex pectore gravis, et auctoritatis plena oratio manabat, qualem in aliis eo aevo reperire sit multo difficillimum. Provinciae romanae negociis praepositus, clara dexteritatis argumenta praebuit, Alexandro VII. in primis gratus. Quae

sibi salutaria apud superos futura essent, multo studio paravit, sacramque Luminum aedem omni cultu exornavit. Decessit Fulginei anno 1677. De eo Barelius, et Divinius. Scripsit. 1. *Storia sacra, e profana della città di Tortona.* 2. *Collegia clericorum s. Pauli.* 3. *Storia picena.* 4. *Orazioni panegiriche, discorsi morali, prediche.* 5. *Sonetti, e poesie diverse.* De eo Ungarellus.

TINTUS SEVERINUS vir latinis literis pereruditus, nostrarum non ignarus, omnium bonarum artium appetens, nitore quodam, et copia longe eminuit inter eos, qui domi saeculo XVII. musarum veneres adamarunt. Cardinali Raggio charissimus, et muneribus donatus locupletibus, et honestis, diu splenduit in exemplum virtutum. Eo etiam in ornando liberalitatem suam contulit Ranutius Farnesius, eumque multis in rebus commendatum habuit. Ut suis cum musis oblectare liberius sese posset, negocia penitus devitavit, in patriam reversus. Civibus et gratus et probatus interiit anno 1692. Inter carmina, quae post se reliquit, haec eminent. 1. *Sonetti.* 2. *Odae.* 3. *Il convito ascolano.* De eo Meloncellus, et Divinius.

TINTUS SYLVIUS natus anno 1551., fuit eximium patriae decus, seu pietatem, seu doctrinam spectes. In jurisprudentiae studia Perusiae incumbens, nactus est interpretem Joannem Paulum Lancellottum virum celeberrimum, cujus gloriam dein Romae fuit ipse aemulatus. Mirum erat omnibus, hominem vixdum e scholis abductum sacris praesertim canonibus, et christiana facundia tam preclare esse instructum. Certe antistites urbani eum viris juris consultissimis praeposuisse visi sunt, quando a cognitionibus eum certatim appellabant. Sed in legum peritia illum prae caeteris eminuisse agnovit Ludovicus de Torres cardinalis archiepiscopus montisregalis, postquam suis in summis familiaribus eum recepit, eique sacram diaeceseos procurationem demandavit. De Torres morte sublato, humanas res omnes ipse valere jussit, et ingenii gloriam aspernatus, domum repetiit, in qua anno 1613. diem clausit extremum. De eo Meloncellus, et Fontana. Scripsit. 1. *De ordinatione clericorum tractatus. Romae* 1601. 2. *De dignitate, et privilegiis clericorum.* 3. *De juris facultate tractatus.* 4. *Consilia legalia.*

UGOLINUS ANTONIUS apprime studiis

amaenioribus ab Angelo Massarellio Romae eruditus, philosophicas res, et juris cognitionem tenuit egregie. Viris principibus, Hieronymo Rusticuccio cardinali in primis, familiaris factus, et a vice sacra senogalliensium renunciatus, omnium laudem promeruit. Ejus prudens ingenium, et solers ad omnia judicium dein expertus fuit Philippus Boncompagnus cardinalis, dum pontificis nomine mittebatur ad Henricum III. e polonia in galliam ad regni gubernacula properantem. Ob haec, aliaque eum tuendum sibi, atque ornandum suscepit Gregorius XIII., eumque antistitem urbanum dixit. Promagister beneficiis dandis, adtribuendisque jussus, eo in munere plures fuit annos laudabiliter versatus. Nec ratum solum, sed etiam plane gratum habuit Gregorius, quicquid egit Antonius ad acta criminum expiandorum curanda provectus. Dum ipse ad altiora gradiebatur, anno 1581. Romae occubuit, laudatus a Durastante, a Siena, ab Alvero.

VALENTINIUS CAROLUS natus anno 1738., in omni bonarum artium doctrina et politioribus literis diligentissime excultus, nulli in juris peritia fuit secundus. Pietatis splendore fulgens, archidiaconatum ecclesiae nostrae sibi

paravit cum plausu. Ad exitum usque subsidium domi, forisque in diaecesi administranda episcopis attulit. Prospiciens impense canonicorum bono, eorum jura angustissimis temporibus vindicare non destitit. Semel et iterum a romanis pontificibus episcopus designatus, tantum onus forti animo declinavit. Marefusco, Rovarello, Caracciolo, et de-Petro cardinalibus longa vitae consuetudine summopere fuit charus. Obiit anno 1811. Justa bene merenti persolvit patria in aede sacra Severiana.

VALENTINIUS HIACYNTHUS ortus anno 1596., ob variam in re humana, et divina eruditionem gratus fuit omnibus, cardinali Brancaccio in primis, qui epistolarum negocium ei demandavit. In scribendo stylum purum, et quod magis mirandum illa aetate, sententiarum nitorem ipse servavit. Post Brancaccii mortem rediit ad suos, et virtutum splendore exornavit ecclesiam. Mortuus est anno 1657. Reliquit literarum volumen, et orationes quamplures.

VICOLUS PETRUS SIMON in excolenda latini eloquii venustate diutinos labores impendit. In juris studio distentus adeo fuit, ut non die non nocte requieverit, aliquid semper aut

legens aut scribens. Ob haec tantum sibi nomen peperit, ut difficillimis in quaestionibus ad eum confugerent viri doctissimi. Picentum curiae, et fisci advocatus ac magister jussus, omnia summa cum laude confecit. Iis pene obrutus negotiis, se ab armis non abstinuit, et valida manu coacta anno 1498. pro Firmanis feliciter pugnavit. Multa augustinianorum bono molientem cita mors extinxit. Ejus ingenii monumenta extant ea inter consilia, quae saeculo XV. et XVI. scripserunt viri juris consultissimi.

VIRGILIUS e Sanctoseverino pro singulari medicis in rebus peritia Bartholomaeum Eustachium sui amantissimum expertus est. Huic maximo artis anotomicae vindici, et instauratori ipse se edocendum tradiderat, ejusque cathedram in romano gymnasio adeptus anno 1561., gloriam tanti viri usque ad annum 1567. fuerat aemulatus. Ejus meminit Chartarius, et Carafa.

VOLPINIUS AUGUSTINUS Romam a Joanne Antonio Ursino vocatus, epistolarum magister fuit dictus, omnesque prope eloquentiae numeros ea in aula explevit. Sacra dein studia cum variis linguis et artibus Neapoli penes

Boncompagnum cardinalem archiepiscopum ita conjunxit, ut civium nostrorum vix alius quisquam fecerit felicius, admirabiliusque. Hinc domum repetiit, et mors eum abstulit anno 1662. Scripsit. 1. *Trattato di cria.* 2. *L'Urania giojosa nell' ingresso di Mr. Maidalchini.* 3. *Sonetti, madrigali, poesie lugubri, ed epitalamiche.*

CONCLUSIO TOTIUS OPERIS.

In elogiis conscribendis omne studium adhibui, ut velut ex imagine quadam illustriores cives nostri agnoscerentur. Ut eorum gesta in volumen amandarentur, Germanus Margarutius eruditissimus civis, et de publica re nostra optime meritus operam dederat et ipse: et nihil obstare autumans, si eodem in argumento et ego versarer, quidquid ipse maximo labore collegerat, mihi humanissime communicavit. Beneficium sane luculentum, ac singulare fuit istud, quod gratus semper agnoscam, quodque verbis amplissimis praedicabo.

Quod ad ipsam totius operis historiam attinet, hoc affirmo, nil partium studio scripsisse. Si multorum nomina subticui, certa ratione ad-

ductus id feci: nam in historiis nil fide antiquius habendum. Si quid in re universa censenda mihi sumpsi, arbitror id non arroganter fecisse, praesertim ad utrumqne paratus, ut vel mutem sententiam, si quis adducat compertiora, vel concedam, si quis digladiari malit, quam discere. Fateor interim pro mea tenuitate opportuna mihi maxime accidisse verba, quae Dominicus Vaccolinius (1), Franciscus Capotius (2), Caelestinus Cavedonius (3), Michael Angelus Lancius (4), aliique maximi, et clarissimi viri de me fecerunt perhumaniter. Quae quidem singula erunt semper fixa in animo, atque memoria mea, ut mihi vivo eripi, abolerique non possint. Omnia, quae in primis honesta et chara homines habent, una cum iis, qui ea possident, brevi tempore intereunt. Viri

(1) Gazzetta privilegiata di Bologna 8. aprile 1837. num. 42. — Giornale scientifico-letterario di Perugia aprile 1837. pag. 245. — Ottobre 1837. pag. 222. — Giornale Arcadico vol. luglio, agosto, settembre 1837. pag. 366.

(2) Giornale Arcadico vol. gennaro, febraro, marzo 1837. pag. 352.

(3) L'amico della gioventù giornale di amena letteratura anno 1. vol. II. num. 4. luglio 1837. pag. 60. Modena.

(4) Diario di Roma num. 99. 12. dicembre 1837.

uni literatissimi vivunt, longaevique, ac diuturni sunt: eamdemque vitam, ac diuturnitatem, quibus volunt, impertiuntur. Agerem eis gratias, quemadmodum sane debeo, de his omnibus, si orationis genus ad rem idoneum haberem. Quod quoniam nullum suppetit, credo propterea, quod superarunt illi quidem officiis omnem expectationem meam: itaque praeteritus re, a verbis quoque, orationeque destituor. Ex iis vero literis, quas ad me dedit Raphael Servantius comes, quasque Maceratae anno 1838. typis ipse maudavit, et quantum conatus hosce amaret, et quantum ingenii luminibus amabilitateque scribendi praestaret, facile cognovi: nil fere legi aut elegantius, aut purius. Itaque quod meos labores ipse amet, mihi verissime laetor; quod egregius sit civis, cum ei in primis gratulor, tum vero plurimum patriae. Caeterum diaria silentio de scriptis invita minerva ulciscuntur, vellicatione famam adjungunt scriptoribus.

FINIS.

INDEX CAPITUM
LIBRI TERTII.

ELOGIA VIRORUM ILLUSTRIUM.

INDEX

NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

Voluminis Primi

A

B

C

D

E

F

G

H

I

J

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

Z

INDEX

NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

Voluminis Secundi

A

B

D

E

F

G

H

I

J

L

M

N

O

P

R

S

T

V

W

INDEX

NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

Voluminis Tertii

A

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

R

S

T

U

V

W

Z

QUOD BENE VERTAT REIQUE PUBLICAE INCREMENTUM AFFERAT HABEANT ANTIQUITATIS CULTORES DOCUMENTORUM AC INSCRIPTIONUM SERIEM ALIQUAM VELUTI

ADDITAMENTUM.

Vol. I. pag. 56.

Sanctiseverini in aede Plebejae Mariae ad basim.

C. NUMITORIO . CALLISTRATO . HOMINI . OPTIMO . DOCTISSIMOQUE
ET . VIRO . RARISSIMO

Ediderunt inscriptionem hanc praeter alios Nicolaus Paranzonius - *de laud. Piceni opus inscrip. in vol.* 25. *ant. Pic. pag.* 146. -, Horatius Civallus - *visit. trien. loc. cit. pag.* 42. -, Bernardus Gentilius Rovellonus - *disert. di Settemp. pag.* 28. -, cl. Cajetanus de-Minicis - *giornale scientifico letterario di Perugia aprile maggio e giugno* 1838. *pag.* 336. -, iidemque inter antiquos septempedanorum lapides numerarunt. Idipsum sensere Franchius - *de antiq. septem. ms.* -, et Panelius - *medic. pic. vol. I. pag.* 222. -. Muratorius lapidem ita retulit - p. 718. 1.

In Sanctiseverini oppido ex schedis Ptholomaeis.

C. NUMITORI . CALLISTRATO
HOMINI . OPTIMO . DOCTISSIMOQ.
ET . VIRO . RARISSIMO

Magnae hic laudes C. Numitorio Callistrato, non multis verbis, tributae, quae virum fuisse ostendunt artium optimarum, patriaeque suae studiosissimum. Ab eo et beneficia multa Flavio Aristo fuisse collata, accepimus ex altera inscriptione Capuana, quam habent Camillus Pellegrinus - *appart. alle antich. di Capua nell' aggiunta pag.* 779. -,

et Nicolaus Toppius - *bibliot. napol.* -. En verba postrema, quae in septempedano titulo non assurgunt.

FL. ARISTUS. V. C.

An C. Numitorius Callistratus domo esset Septempeda; an saeculo III. a Christo nato ipse floreret, et una cum Papiniani discipulis, Ulpiano et Paulo juris peritissimis, adhibitus esset in consilia ab Alexandro Severo romanorum imperatore, sejuncto in commentario disseremus.

Vol. I. pag. 82. 83.

Stephanus Renaldius vir pietate fulgens, et ingenio eminens, qui inter franciscales adlectus aditum sibi ad honores patefecerat, quique, asiaca lue debacchante, Romae occubuit maximum sui desiderium relinquens, anno 1837. die 31. augusti Severino Servantio Collio comiti cujusdam *sententiae dni Symonis A. S. Legati contra dnum Rainaldum de Brunforte, et terras, locaque, et particulares personas Marchiae* exemplar comunicaverat his verbis. » Questo documento non è facile a trovarsi per la spiegazione di tutti i ribelli, poichè nella divulgazione per i luoghi si inserì solo quella parte, che a ciascheduno toccava . . . . . In vigore di questa carta Sarnano scosse il giogo dei nobili di Brunforte, e si eresse in comune: ed io penso, che molti paesi debbano ad essa carta l'esistenza municipale; sicchè questo documento può essere come una fiaccola per chi voglia scrivere la storia della provincia. » Ii igitur, qui in hoc studio se exercent, non minimum adjumentum sibi comparent eodem in exemplari, quod hic damus.

Symon miseratione divina tt. scti Martini presbyter cardinalis apostolicae sedis legatus rector ducatus spoletani, et Marchiae Anconitanae ad cautelam praesentium et memoriam futurorum . . . . . . Est est . . . . jam mundo notorium . . . . qualiter civitates castra locaque quamplu-

rima multaequae singulares personae variae conditionis . . . marchiae anconitanae quae est romanae ecclesiae specialis, fumo caliginis involutae et in sterquiliniis occumbentes . . . qua eidem tenentur Ecclesiae dissecata homagii debito in oblivionis lassitudinem quasi raptae devotionis iniquis praesumptionibus irritata et subi . . . federe dissoluto quibus ipsos ejusdem ecclesiae jugo antiquae vinculum constitutionis annexuit. Manfredo quondam p . . . Tarentino persecutori fidei et ecclesiae manifesto, ejusque sequacibus et fautoribus nequiter adhaerendo communicant perseverantiae suae spm memoriale . . . . bolo et testibus ejus vitae curriculum solventes ut pereant in tributum. Inter caeteros utique quos adversus ecclesiam ipsam . . . . . ipat perditionis amentia et iniquitatis illivio continuatc perfundit, istae praecipue civitates, castra, loca et personae plurimae singulares contra ecclesiam ipsam vota infidelitatis enutriunt et stipatae perfidiae voluptate inebriatos pertinaciae poculis se propriorum operum inditio profitentur. In primis videlicet communia et homines civitatis Ancon. Cra et homines civitatis Firmi. Cra et homines civitatis Esii. Cra et homines civitatis Human. Cra castri Matellicae. Cra castri sci Severini. Cra castri Tolentini. Cra Montis milonis. Cra castri Montis ulmi. Cra castri Maceratae. Cra castri Civitatis novae. Cra castri sci Helpidii. Cra castri Ripetransonis. Cra castri Montis flor. Cra castri Montis rubb. Cra castri Offidae. Cra castri Recant. Cra Castrificardi. Terra dñor sci Angeli in Pontano. Cra castri sci Justi. Cra castri Morri de vallibus. Cra castri Pire. Cra castri Montis Luponis. Cra castri Serrae Comitum. Cra castri Appiniani. Cra castri scae Mariae in cassiano. Cra castri sci Vitalis. Cra castri Montis sci Petri. Cra castri Corinalti. Cra castri Montis bodii. Cra Castri leonis. Cra castri Montis novi. Homines castri Sterleti. Singu-

lares autem personae. Gentilis de Rovellone. Corradus de Accula. Raynaldus de Brunfort. Ezzelinus de Molliano. Ranerius Hugolini. Ranaldus de Castronovo. Guilehnus de Massa . . . . . filii Friderici de Massa. Thomas de Gottoboldo. Albertus de Staffulin. Hugotio et Petrus filii Cec. ac Grimaldus de Pitin. Guido de Saxeller et fratres ejus. Munaldus de Corinalto. De Ancon. vero Marcus Brancapalla. Ranerius Symonis. Pallaresius Jacobi Albergetti. Benvenutus Angeli. Rambertinus Boccazuti. Liveroctus et Nicolectus de Firmo. Jacobus Renaldi de Marco. Riccerius Petruciolus. Renalducius de Georgio. Justinus Justinianus Thesaugardus. Jacobus Renaldi. Bonus Armanni et Mannellus. De Esio haeredes Jacobi. . . . prie. Scoctutius et Andreas filii Mathei Scocti. Rambertinus Boninsegne. Thomaxius Hugolantis et Thomaxinus ejus filius. Octavianus de Rigu. . . Barnabeus not. Jacobus Actonis Albertucii. Petrucius de Belvedere et Salimbene Taddei. De Hu. . . . . Philippus Oddonis. Dominicus Laurentii. Gerardus Laurentii. De Sancto Severino. Renaldus Salimbene. Acto Salimb. Verleonus Balignani. Crescentius Aldebrandini. Magr. Bentivollio. Bonguadagnus Benvenutus Bondenarii et . . . fili . . . et Mambrecti. Milliorатus Mattafellonis. Taraboctus Jacobi. Marcus judex. Grimaldus de Corinalto. De Montemelone. Arnaldus et . . . filius ejus. De Monteulmi. Berardus Bajulini. Philippus dñi Alberti. Philippus dñi Rainaldi. Bonus infan. et filii . . . . ecto Gratiani et frat. Magr. Moricus Gratiatostus Jacobus Gualat . . . . . Philippus dñi Actonis. Philippus de Ripis. Amorosus Philippus Altilenge. De Macerata. Mulucius. Franciscus dñi Bonomi. Grimaldiscus de Lornano. Jacobucius ejusdem loci. Jacobus Firmi . . . . . De civitatenova. Monalducius. Grimalducius Scocto Bonmartini . . . . . Bulgarus ejus filius. De sco Helpidio Joannes Andreae. Bonalbertus dñi Nicholae. Thomas dñi Hu-

golini. Bonalbertus. Petrus Petri Actucii. Petrus Alberti. Actonus Philippi Albrici Morici. De Ripatransonis. Guilelmus Raynaldi Symonis. Bongarzonus judex. De Monterubbiano. Georzus Bordonus Cagnus Trogani Robertus Bendevacce Bambo. Mattheus judex. De Offida. Almandinus judex. De Recanato. Petrus C:pagnonus. Acto Florani. Flamengus judex. Johannes Ranerii. Petrus Grifi. Caffarellus. Jacopellus Ugolini. Giraldus Gualterii. Leo judex. Racanatus Martii. Arobus dñi Jacobi. Matheus Spendalerii. De Castroficardi. Jacomellus Accurimboni. Guizardus Thodinus de Castello. Hugolinus dñae Imolae. Petrus dñi Bonaventurae. Gentilucius ejus frater. De Sco Justo Abraham Petrus Arduini et filii. Johannes Morici. . . . . fratres Plebani Sci Justi. Accactus Bertrami et filii. De Montegranario. Philippus Petri Granarii. Gualterius ejus frater. Henricus dñi Johannis. Porcus Symonis. Joannes ejus frater. Albertacius et filii ejus. Bentivellio . . . . filius Benvenuti Oradoris. Arduinus Johannis. De Senogallia . . . . Ripis. Marescottus Clarus judex. Jacobellus Jacobi Grife. De Cingulo. Thodinus dñi Gualterii. Philippus Appilliaterre Claud. . . . Corraducius dñi Actonis. Rugorictus dñi Saginette. Ranerius dñi Mainecti. Andreas frater ejus. Adjutus . . . . . he. Deotajute Scagni. Campanellus Benvenutus Raynaldi Rainalducius dñi Nichole. Corraduccius Doedan. Jacomellus Tornabene . . . . Friderici Gentilucius magr. Bernardi. Fredericus dñi Thebaldi. Acto frater ejus. Philippus dñe Ma . . . . . Compagnus Branzus dñe Fantule. Furor filius ejus magr. Rogerius filius ejus. Jacobucius dñi Gilii. Deotajute Petri. C. . . . us Acti dñi Girardi et filius. Benvenutus Acti Ughi. Puzolus Ranaldi. Albricus Petrucii . . . . . . Rugerictus Actoline et frater. Ranaldus Mannelli et filius. Bocconus Incontri. De Esio Accurimbona. Gislerius ejus filius. Mattheus Oradin . . . .

ejus filius. Dñs Thodinus Jacomelli. Franciscus ejus filius. De Pira. Salimbene Actonis Gozonis et fratres . . . . Abujamontis. Defensucius et Ranalducius dñi Rugerius Petrus Inganne Johannes Guidonis. De Forosiñfron Andreas Conesuti et . . . . . Xpiañi. Guido Guittonis. De Serra Sancti Clerici Gonzolinus dñi Nicolecti et frater. Jacobellus et . . . . . . ncomitis. De Pensauro. Ranerius Aymerici. Ugolinus de Carpigna Macus Ugolini Marie Bone. Chezolinus Andreae Verdinelli . . . . . de Farnet. Fuscolus Gregorii Paulus de Balzan. De Roccacontratte Guido et Ugoloctus fratres de Saxob. . . . Sgarucius dñi Minuci. Armannucius dñi Friderici. Guido Viandantis. Mag. Uloginus Clare Manzanellus et alius frater ejus . . . . enui . . . . Deotisalvi Zugoli. Alnuccius Pensoli. De Fano. Andreas Albertus et Guido dñi Gebeardi. Bonomus Petruciorum . . . . Caleginante dñi Gregorii et filii. Petrus Berardelli Rodulfucius ejus frater. Dominicus Andreae auximanus. Petrus Tadde . . . Bonfil. . . . dñe Blance. magr. Julianus magr. Jacobi. Farnellus dñi Johannis. Honestus dñi Hugonis Honesti et filii. Petrus Petri Vescontis. Petrizolus Johannis Girardini. Marcus Parente. Johannes dñi Tintolini. Dñs Ugo Ugolocti. Bulgarus de Castellari. Lancecta . . . . . ntemonacho Oddo et filius ac Petruzobus ejusdem loci. Martinus Dominici. Ranerius de Ripalta. Ursolus Alberti Nichola de Mutina. Spene de Fractis. Jacobus Agresti. Arcolanus Ugonis sartoris. Fabricius filiaster Bartholini fabri. Bartuzolus Petri Viviani. Bartholinus Bartholi. Horabone homo Sci Petri de Barth. Guido Ugolini Fhederici dicti loci. Nicholectus de aco Andrea. Munalducius de Cornañ de Sco Vitali Transmundus et Palmerius ac Rainaldus fratres. Andriolus eorum nepos. Simonectus Franciscus Uffreducius de Valcampana et Bonuscomes ejus frater, et alii seguaces eorum nephariorum complices actio-

num. Quoniam igitur amica . . . . . que fidelibus Ecclesie larga benignitas exibetur ut equo respectu censeatur infidelibus aliena, dum monendi et citandi eosdem tam communia civitat . . . . strorum et locorum, quam singulares personas in locis propriis et incolatibus expers oneris nobis opportunas non probetur, contra ipsos . . . . . ens publice citationis edictum in ista devota congregatione fidelium consulte providimus promulgandum. Eapropter praesenti edicto publice communia et homines civitatum castrorum, et locorum ipsorum ac universas et singulares personas particulares praedictas qua fungimur auctoritate citamus unicuique communium civitatum praedictarum sub mille marcharum argenti, ac singulariter singulis particularibus personis eisdem sub mille librarum Rav. nec non et universis tam communibus civitatum atque castrorum ipsorum quam et singularibus personis eisdem sub privationis perpetuae privilegiorum, concessionum, indulgentiarum, gratiarum, beneficiorum . . . . . . exbannitionis et confiscationis omnium et universorum bonorum ipsorum ad opus curie poenis tenore presentium districtius injungentes, ut universa et singula communia supradicta sindicos suos legittimos et ambaxatores sollempnes mictere ac prefata singulares persone omnes et singule vinire personaliter ad presentiam nostram usque ad VIII. dies ex nunc peremptorie debeant sanctissimi patris et dñi dñi Clementis Pp. IIII. Ecclesie Romanae mandatis et nostris humiliter parituri . . . . In cujus rei.

Late et publicate sunt citatio et condempnatio sopradicte Anno Dñi M. CC. LXV. mense Maji die X. indict. VIII. poñt Dñi Clementis Pp. IIII. Anno Primo Fabriano in Campo Mercati ipsius Cois in publico parlamento. In presentia mei Nicholay de Rocca not. ven. patrum . . . . . . Esin. N. epi quondam Bruniacen . . . Abbatis de Rambona G.

Archipbri de Fabrie. Magr. Thomae de Sco Germano Cappellani dicti dñi Cardinalis. Nobilium virorum dñor Falleroni de Fallerono Trasmundi de Pitriolo Guidonis Marchionis de Montemezan Ranerii de Rocca Sce Lucie Fidesmidi de Castanea Opizini et Armanni fratr. de Saxoferrato tt. rog.

Et ego Bonaventura olim Ranerii de Señ imperiali auctoritate notarius publicus predictas citationem et condempnationem prout in actis Curia inveni vidi et legi, ita in hac presenti pagina diligenter scripsi et exemplavi nil addens vel minuens propter quod sensus aut intellectus mutetur, et de mandato mihi facto per ven. patrem dñm Bernardum abbatem montis majoris marchiae ancon. et civitatis et dioecesis Urbini rectorem prout in suis literis suo sigillo signatis missis transmissis plenius continetur, que quidem littere inferius denotantur scripsi et publicavi sub Anno Dñi M. CC. LXXVIIII. indict. VII. Que quidem littere sunt tales.

Bernardus abbas montis majoris rector ancon. marchiae Bonaventure not. . . . Thesaur. salutem in Dño. Cum commune et homines Sarnani sententias quasdam et processus factos per bon. mem. dñm Symonem Cardinalem contra Nobilem Virum Dñm Renaldum de Brunforte et alias de Marchia tempore quo legationis officio fungebatur in ipsa veliot producere et habere in causa, que vertitur coram nobis inter ipsum Nobilem et Commune predictum, mandamus tibi quatenus omni dilatione et tarditate remotis omnium processuum et actorum quorum copiam habere voluerint recepto pro labore precio condecenti et justo Syndicis dicti Communis copiam facere ne postponas. Dat. Fani X. Junii.

Vol. I. pag. 205.

Obsequium, et cultus, quem Biordus de Micheloctis dux perusinus nonnullis Marchiae civitatibus, atque dyna-

stis diligenter praestitit, gratus illis, atque optatus accidit. Itaque ei praefecturam militarem dederunt lubentes, parati ad faedera servanda solemniter statuta die IX. novembris 1393., quae referuntur a Compagnono - *regia picena* -, a Talpa - *mem. lib. IV. pag.* 524. -, et a Colucio - *vol.* 18. *pag. CXLVIII. docum. n. XXXI.* -. Faedus aliud inter Biordum, et dynastas ipsos fuisse percussum, scribunt Cancellottus eques - *ist. di Settemp. lib. I.* -, et Talpa - *lib. V. pag.* 549. -. Id patet ex charta, quam saeculo XIV. exaratam tenemus, quamque vidimus apud Dominicum Valentinium civem nostri amantissimum. En verba.

Al nome de Dio Am̃. Ad laude, honore et gloria del nepotente Dio et de la gloriosa sempre Vergine Madopna sta Maria sua Matre, et ad honore et reverentia della santa Romana Eces. et del santissimo pte et sengnor Messer Bonofatio p. la devina provedentia pp. Nono et ad pace e reposo et tranquelettà de la proventia della Marcha et proventiale dessa, et ad bono et pacifico et tranquillo stato del pte infrascritte et p. petuo mantenimento delli loro pñti stati.

Questi sonno li patti capituli provixioni, et conventioni facti et formati et che se facceno et ferma tra li magnifig Comuni et Signori Comunisti de Ancona, Fermo, Asculo, ms. Gentile da Cam. et Rodolfo suo filliolo, Messer Guido de Chiavelli da Fabriano et Chiavello suo filliolo, Mes Sciarra et li nepoti de li Scimonetti da Exoi, Honofrio, et Roberto et Anthonio filliolo, Honofrio da Santo Sñino, Mes Guido et fratelli da Maltecha, Binolino de li Cima da Cinglo et Johanne suo filliolo en loro nome et nome et vice de tutte Cittade Terre Castelli et lochi a loro subditi et raccomandati, et homini dessi tutti loro seguaci et aderen-

li quali et quali anno a lo pñte et adevenesse ave per lavenire da una parte, et lu strenuo et nobile homo Biorc do de li Micalocti de Peroxia Capitano et q. da l' altra parte.

Prima li dicti Comuni et Sengniori p. li nomi dicti conducano el dto Biordo per defessa de la preventia de la Marcha, et loro p. X mesci comenzato adì pmo de novem. p. mes. pñte, et como seguita da ffinire con cento septanta lance vive et X morete entendendose la lancia da tre cavalli, ciò è uno cavallo per capo de lancia, uno piatto, et uno ronzino, sicchè lo pagameto se extenda p. cento optanta lancie tra vive et morte como se dicto.

Item promettono li dicti comuni et sengniori dare et pagare al dto Biordo per ciascheuno mese p. le dicte cento optanta lancie ducati XV p. lancia en n oro o vero en moneta ad bolognini novi p. trentaotto bol per ducato o vero in moneta vecchia quanto montarà p. li dicti trentaotto bol. reducendola a lo valore et cursso de li loghi ove se fara lo pagamento et dare uno duct. p. lancia p. le dicte CLXXX lancie p. provision a la dta racon.

Item promettono li dcti comuni et segniori ciascheduno p. la parte mese p. mese como li toccherà la sum̃a et quantitade infrassta al Lui o ad qllo che el dcto Biordo deputara cio è pagando lo comune de Ancona p. X mesi p. le dicte lancie ducati quatro milia v. Lo comune de Fermo ducat. v. lo comune d Ascol. ducat. iiij. a Mes. Gentile ducat. viij. li sopra nominati altri Segnurj et nobili tratutti loro ducatj iiij. cinquecento et lotti cento fiorini o vero ducatj che resta se debia partire et devidere tra le dcti comuni p rata como toccharà a le dte spresse quantità per adempimento de le paghe del dto Biordo p. le dte C LXXX lancie pagando lo comune de Ancona p. se suo contado distrecto e

per la ciptade de Vmana, lo comune di Fermo p. suo contado destricto et p. mote Rubiano, mote sto, mote sta Maria in Giorgio, Porcchia, monte Sto, monte Granaro et sto Elopidio, et comuno d Asculo p. se suo coutado et disstrecto et p. Arquata, Monte lumonato, et mote Sta Maria en lapida, Messer Gentile pagando per se e p. la cictà de Camerino suo contado forzza, et disstrecto et terre racomandate et p. Sarnano, la mandola la peña, lo Mot. Santo Martino, Campo rotondo, Belforte, Sto genexio et Tholentino, Montecchie, mont. meloni, mot. dell' omo, Moro, Monte Cosaro, Mt. St. M. in cassiano et adpignano, et li sopri nominati Sengnur. et Nobili p. tutte le loro terre, et lochi recomandati.

Item prometteno et volliono li dicti Com. et Segñor. che lo dto Biordo co la sua persona et possa alla sua volentade absentarse dalla proventia de la Marcha, et gire stare et tornare a la sua volontade, lasando quando absentasse uno suo tenete bono et fedele ad governamento de le dte lancie.

Item promette lo dto Biordo p. li dcti nomi far fare a li dcti Caporali et conpag. oste scorte guardia et cavalcata ad volontade de li dti Comuni et Sengnouri tante fiate quante fiate p. loro et per quelli che li dicti Comuni et Sengnuri rechiesti fossero.

Item promette lo dto Biordo nelli dcti nomi non fare ne consentire che veruno suo Caporale ne compagno faccia veruna empresa ne guerra contra veruna parta de la proventia de la Marcha ne da fare co le dicte CLXXX lancie se no in quanto le saranno per li dicti comuni et Segnouri o la maiore parte dessi conceduto cioe per le dui parte almeno.

Item promette lo dto Biordo nelli dti nomi defendere

li dti Comuni ét Singnouri. loro Cità ter. et Castelle et lochi et homini di esse da tutte Compagnie, e da onne altra parte et Sengnour. spiritual. temporale cioe Regnicolo o Marchigiano o da quale vole altro loro, de quale stato nome et conditione et fosse che volesse offendere o vero offendesse, dannificasse le dcti Comuni et Sengnour, et loro lochi et homini o alcuno de loro ad essendo o vero ad uso con tutto suoi poderi et sempre ad bona fede.

Item. promette lo dto Biordo nelli dti nomi se alli dti Comun. et Sengnour. piacesse refermarlo per uno altro anno stare co li patti modi et conditione de sopra et de sopta declarati sinceramente etiam ove li dti Comuni et Sengnour. avessero besongno de la referma predicta lo degia fare sapere al dto Biordo per uno mese i nanti.

Item promette lo dto Biordo nelli dti nomi non gravare per lo pagamento: de le sopra declarate quantità veruno de li dicti Comun. et Sengnour. per quelli etiam non pagasse in nanti e de quello o quelle etiam pagasse servire bene et lealemente et observare derectamente tutte le cose promesse.

Tucte le predecte cose le sopra decte parte in ciaschuno capitulo de sopra de clarato promette l'uno al altro et l'altro ad uno adtendere et observare ad bona fede et senza fraude onne maligna interpetraz. cessante et non fare ne venire contra per loro ne per altre per veruno modo de racione o vero de facto per directo overo per oblico taccito o vero spresso sopto pena de essere chiamato fede mancatore.

Vol. 2. *pag.* 258.

Est mihi vehementer gratum inscriptionem proferre, quam Cajetanus de-Minicis dictavit. Eam pro exemplo germanae dictionis habemus.

PONTIFICES . MAXIMI

QUORUM . EFFIGIES . HIC . INSPICIUNTUR

AD . PACIFICI . VENERABILIS . CONCIVIS . NOSTRI

DECERNENDAS . CAELESTES . RELIGIONES

QUAE . SUBSCRIPTA . SUNT . STATUERUNT

BENEDICTUS . XIV.

CAUSSAM . EXORDIRI

CLEMENS . XIII.

QUAESTIONES . DE . MIRACULIS . INSTITUI

PIUS . VI.

VIRTUTIBUS . ADSERTIS

INTER . BEATOS . CAELITES . REFERRI

PIUS . VII.

ACTA . DE'. DUOBUS . MIRACULIS

RITE . INSIGNIBUS . CONFIRMARI

LEO . XII. ET . GREGORIUS . XVI.

IN . CAELITUM . SANCTORUM . NUMERO

TUTO . CENSERI . POSSE

Vol. III. pag. 121,

Sebastianus Ranghiascius Brancaleonius comes ad optima quaeque et rerum, et dicendi exempla se totum contulit, doctore Hieronymo Carlio senensi viro omnigena eruditione clarissimo. Latinos praesertim doctrinae principes atque auctores, a quibus omnis ad Italos elegantia manavit, imitari conatus ipse fuit. Romam profectus, ad philosophorum scita se effinxit. Sedulitate atque ingenio aequales omnes in antiquitatum explicatione antecelluit, et hominum doctissimorum animum mirum in modum sibi captavit. Eugubinas tabulas elucidandas suscepit : de antiquitate, de lingua, qua essent scriptae, de rebus, quae tabulis continentur, judicium exposuit. Multa Etruscorum, et Pelasgorum monumenta illu-

stravit. Palmam antiquitatis cultoribus praeripuisse in multis, docent libri, quos ipse edidit. Jacobus Ranghiascius Brancaleonius episcopus ei titulum in aede sacra Severiana ponendum curavit, quem nos ita dictavimus.

☧

SEBASTIANO . RANGHIASCIO . BRANCALEONIO
DOMO . EUGUBIO . EX . ORDINE . DECURIONUM
PHILOLOGO . ARCHAEOLOGO . AC . BIOGRAPHO . PRAESTANTISSIMO
ASSISII . ANAGNIAE . SPOLETI . IURIBUS . DICUNDIS . PRAEFECTO
SODALI . IN . MANTUANAM . CORTONENSEM
AC . PERUSINAM . ACADEMIAM . ULTRO . COOPTATO
A . MARIOTTO . LANTIO . TIRABOSCHIO . AGINCOURTIO . WINKELMANNIO
IN . PARTEM . LABORIS . ACCITO
QUI . LIBRIS . EDITIS . AC . MANU . EXARATIS . PATRIAE . MONUMENTA
PRAESERTIM . PRISCA . ETRUSCORUM . LINQUA . TRADITA
FELICI . AUSU . ILLUSTRAVIT
FRATRI . INTEGERRIMO . PIENTISSIMO
JACOBUS . EPISCOPUS . SEPTEMPEDAE
LAPIDEM . PROSTAT
UBI . DYSURIA . CORREPTUS . MORTEM . OPPETIIT . X. KAL. JUNII
ANN . MDCCCXXII.
QUUM . VITAE . ANNO . LXXV. EXPLENDO . DIES . LIV. SUPERESSENT
AVE . ANIMA . DESIDERATISSIMA . IN . PACE

Vol. III. pag. 123.

Quum templum maximum augustinianum die 7. octobris ann. 1838. honori Philippi Xaverii Grimaldi episcopi imperium sacrum incuntis splendide esset convestitum, inscriptionem hanc, quae sacra in aede proponeretur, exaravimus.

IN . HONOREM
PHILIPPI . XAVERIJ . GRIMALDI
EPISCOPI
SEDI . DIGNITATIS . SUAE
AUSPICATA . POMPA . SUCCEDENTIS
COLLEGIUM . CANONICORUM
AD . LAETITIAM . PUBLICANDAM
EXORNAVIT

Quo pacto adventus episcopi optatissimi celebraretur, quae laudes, quae gratulationes, quae vota, precesque totius civitatis essent, diximus in opuscolo - *Onori tributati a monsignore Filippo Xaverio de' conti Grimaldi nella esaltazione alla sedia vescovile di Sanseverino. Macerata* 1838 -. Franciscus Capotius, et Caelestiuus Cavedonius clarissimi et doctissimi viri de hoc opusculo, aliisque a nobis felici hoc in eventu editis, scripserunt perhumaniter. Consule - *Giornale arcadico vol.* 228. *settembre* 1838. - *Gazzetta della Italia centrale la voce della verità* 29. *novembre* 1838. *n.* 1144. -

Vol. III. pag. 134.

Bartholomaeus Sancdutius omni quidem tempore Florentinis fidem praestitit, et pro eorum anctoritate, majestateque defendenda plurimas, gravissimasque contentiones non fuit veritus subire, atque suscipere. Ejus idcirco amplitudini, gloriaeque Florentinos ipsos non defuisse, patet ex charta, quam Joseph Ranaldius nobis communicavit.

In Dei Nomine. Amen. Adì primo giugno 1644. Fede, come nel libro delle Provisioni publiche dell' anno 1376., che si conservava nell' archivio pub. delle riformazioni di Firenze appare fra le altre cose a 141 la provisione infrascritta del dì 26. settembre di d. anno, cioè.

Quarto. Provisionem infrascriptam super infrascriptis omnibus, et singulis deliberatam, et factam per dictos dominos Priores, et Vexilliferum, et Gonfalonerios societatum populi, et duodecim bonos viros comunis Florentiae secundum formam statutorum, et ordinamentorum dicti comunis que talis est videlicet magnifici et potentes viri domini priores artium, et vexilliter Justitiae populi, et comunis Florentiae. Considerantes antiquae dilectionis, et devotionis ingentia, quibus magnifici viri dñs Bartholomaeus, et fratres ejus filii quondam recolendae memoriae viri egregii Smeduccii de Sancto Severino, et ipse idem Smeduccius, et progenitores sui affecti fuerunt erga honorem, et statum dicti populi et comunis. Et quanta perseverantes constantia Ipsi Dominus Bartholomaeus, et fratres ejus nuper erga prosecutionem voluntatis honoris libertatis, et status Comunis Florentiae, non sine ipsorum magnis sumptibus laboribus, et periculis se gesserunt, et paratos se exhibent in futurum, et quod ipse dominus Bartholomaeus militiam, quam pridem habuit in victoria habita per exercitum Exculanorum in quo exercitu contemplatione comunis Florentiae militabat, sperabat, et affectabat habere a populo, et comuni Florentiae. Et ob id volentes jam facta aliquo signo bonae gratitudinis remunerare. Et eos, et alios ad similia vehementius animare habita super praedictis, et infrascriptis omnibus, et singulis invicem, et una cum officio Gonfaloneriorum societatum populi, et cum officio duodecim bonorum virorum comunis Florentiae deliberationi solemni, et demum inter ipsos omnes in sufficienti numero congregatos in Palatio populi Florentini praemisso et facto diligenti, et secreto scruptinio, et obtento partito ad fabas nigras, et albas per viginti octo ex eis secundum formam statutorum, et ordinamentorum dicti comunis eorum proprio motu pro utilitate

comunis ejusdem, et omni via jure, et modo, quibus melius potuerunt providerunt ordinaverunt et deliberaverunt die xxij mensis septembris anno Domini MCCCLXXI. Ind. xiiij. Imprimis quod ipse dominus Bartholomaeus in omnibus et per omnia habeatur, et sit, et quo ad omnes, et omnia honores, et commoda tractetur, et reputetur, et reputari possit, et debeat, ac si per ipsum populum, et comune Florentiae, seu ejus comunis et populi Syndicum legiptime promotus fuisset ad militiam, et accintus fuisset cingulo militari.

Et quod pro honore dictae militiae, et dicti domini Bartholomaei dicti domini Priores, et Vexillifer possint expendere et expendi facere in illis jocalibus armaduris, seu rebus quibuscumque de quibus eis videbitur convenire trecentos, seu usque in trecentos florenos aur. Et ipsas res transmittere, et seu dare, vel dari facere dicto domino Bartholomaeo, vel alteri cuicumqne recipienti pro eo prout volent.

Et quod pro praedictis exequendis Camerarii Camerae comunis Florentiae de quacumque pecunia dicti comunis alteri non deputata possint, et teneantur, et debeant dare, et absque aliqua probatione, vel fide fienda de praedictis, vel aliquo praedictorum Camerariis camerae armorum Palatii populi Florentini dictos trecentos florenos auri, qui camerarii Camerae armorum et quilibet ipsorum possint, et possit ipsam pecuniam dare expendere et convertere in causam praedictam, cui et quibus, et prout, et quemadmodum mandatum sibi fuerit per officium dominorum Priorum artium, et Vexilliferi Justitiae dicti populi et comunis.

Et ipse dominus Bartholomaeus, et Pierius filius olim Stephani, et Nofrius, et Robertus filii olim Colae filiorum olim dicti Smeducii, et quilibet ipsorum, et cujuslibet ipsorum,

filii, et descendentes per lineam masculinam intelligantur esse, et sint de caetero veri cives Florentini et quod tanquam veri, et originarii cives populares Florentini in omnibus et per omnia, et quoad omnia habeantur censeantur tractentur et reputentur, et haberi censeri tractari et reputari possint, et debeant. Et quod potiantur, et gaudeant omnibus, et singulis beneficiis, privilegiis, favoribus, et immunitatibus, quibus potiuntur, et gaudent, seu potiri, vel gaudere possunt, vel poterunt quicumque alii veri originarii et antiqui cives populares, et de populo civitatis Florentiae. Salvo et expresso quod quoad officia populi seu comunis Florentiae, et seu civitatis, comitatus, et seu districtus Florentiae pro veris Forensibus, et non pro Florentinis civibus habeantur et sint. Et q. et quoad onera gabellarum, et factionum, et muncium, et onerum comunis Florentiae habeantur, et haberi, et tractari debeant non tamquam cives Florentini, sed tam et quam forenses prout actenus tractabantur. Et remissa eis et cuilibet ipsorum necessitate promittendi, et satisdandi de oneribus comunis Flor. subendis, et solvendis et solutionis, et subventionis onerum praedictorum, Non obstantibus ec.

Ego Vincentius Teglia quondam Jois. Baptae filius civis, et not. pub. Flor. et secundus minister ad Reformationes in fidem subscripsi, et approbo suptam apostillam sub ejus signo. In quorum fidem ec.

Nos Augustinus Cerretesius J. U. D. civis et not. pub. Flor. et ad pns proconsul collegii judicum et notariorum civit. Florentiae fidem facimus, et pubblice attestamur supradictum D. Vincentium Teglia fuisse et esse talem qualem se facit in suprad. ejus subscriptione legalem, et fide dignum, ejusq. scripturis et subscriptionibus semp. adhibitam fuisse et ad pñs adhiberi plenam fidem in jud: et ex-

tra, ab oibus. In quorum test. hasnras fieri jussimus cum soliti sigilli impressione munitas. Dat. Flor. die 6. junii 1644.

Laur. Bindius Canc. Loco ✠ sigilli

Vol. III. pag. 149.

Gaspari Servantio in theatri fronte grati cives anno 1780. titulum temporarium posuerunt, quem Camerini officinatores Goriani in lucem emisere. Haec sunt verba.

QUISQUIS . MORTALIUM . ES
SIVE . ADVENA . SIVE . INDIGENA
THEATRUM . HOC . FLORENS
TUM . MAGNIFICENTIA . TUM . FABULARUM
DECORA . ACTIONE
ADSPECTURUS
EQUITI . GASPARI . SERVANZI
VIRO . DE . REPUBLICA . OPT. MER.
AC . OB . CIVIUM . AMOREM . SPECTATISSIMO
DEBITAS . GRATIAS
SINCERO . ANIMO . PERSOLVE

Michael Angelus Moroeus reipublicae literariae Arcadum custos, et caeteri P. C., Servantio exorante, de colonia inter nos constituenda consenserunt, decretumque per scribam publicum indicandum censuere - *in piena ragunanza di Arcadia alla Neomenia di Ecatombeone l' anno II. dell' Olimpiade DCXXXI. della restaurazione d' Arcadia Olimpiade XIV. anno IV. giorno lieto per general chiamata* -. Quod cuique arti, aut scientiae amplificandae conducit, vidit et curavit, Gaspar princeps jussus, virosque liberalibus disciplinis instructos, scientiisque informatos, qui illustrare et promovere eas possent, in coetum recepit. Admissi inter alios Joannes Carolus Giroldius canonicus, Franciscus Divinius, Bernardinus Crivellius, et Philippus Assaltus.

Aloysius Lantius, immortalis memoriae vir, qui ad studium linguae etruscae, pene jam sub romanis extinctae, ausu felici eruditos omnes revocavit, quique veterum etruscorum monumenta perquisivit, contulit, illustravit, honorifice scripsit de Servantio in opere, cui titulus - *Saggio di lingua etrusca. Firenze per Attilio Tofani tom.* 2. *vol.* 3. 1825 -. Ibi Lantius sub tabula XVII., et numero extremo dedit laminam plumbeam latini characteris antiquissimi, quam dixit in Gasparis aedibus asservari una cum parvis etruscorum signis e Septempedae ruderibus effossis.

Exemplum literarum, quas Gregorius Kositzki ad Servantium misit Catharinae II. imperatricis, et autocratorissae ruthenorum verbis, habeat numismatum cultor.

Viro nobilissimo, doctissimoque Gaspari Servanzj S.P.D.
Gregorius Kositzki.

Miraberis acceptis his ab ignoto tibi plane literis. Desine quaeso: jussu enim Augustissimae Rossiarum Imperatricis hanc provinciam obeo, fungens apud sacram ejus majestatem officio accipiendorum supplicum libellorum. Virtutes Principis nostrae imperatorias stupet orbis terrarum; literarum vero honos et lux, quibus fulget, eruditos in admirationem rapiunt praecipites. Haec causa est, quod docti undique ambiant tantum musarum decus, eam venerentur, ei curas suas consecrent. Tu numerum eorum hac quidem in re nuper auxisti, vir eruditissime, quum undecim aurei nummi antiqui comitari epistola tua ad conspectum Apolinae Augustae ut pervenirent, operam dedisti. Domina omnium Rossiarum potentissima accepit eos benigne, et commisit mihi munus respondendi, simulque addita hic signa suae Caesareae clementiae tibi transmittendi: ea consistunt in duobus numismatibus. Primum est aureum, referens effigiem debellatricis turcarum ex adversa, ex aversa vero

parte totius osmanicae classis prope Cesmam combustae, imaginem exprimens. Epigraphes circum serenissimam Ejus faciem verba rossica latine sic se habent: *Dei gratia Catharina II. imperatrix, et autocratorissa omnium rossiarum.* Ad stolae imperatoriae oram nomen legitur sculptoris: *Timotheus Jevanow.* In aversa vero parte epigraphe super ardente classe inimica ex solo hoc constat vocabulo: *Fuit.* In imo leguntur ista. Cesma 1770. Anno julii (error est oportet legi: junii 24. die.

Alterum numisma est ex aere, cujus anterior pars exhibet effigiem ex inscriptione iis, qui non viderant hunc Heroa, noscendam, quae sic ad verbum latine redditur: *Comes Alexius Gregorides Orlow victor, et exterminator turcicae classis.* Posterior pars representat segmentum insulae Chii, et litora Asiae e regione ei posita cum interjacente maris portione, ubi praelium navale rossicam inter, et turcicam classem commissum est junii 24. die, et ubi postea ejusdem junii 26. » incendium hujus postremae internecivum subsecutum est. Inscripto ejusmodi est: *Et facta est Rossiae laetitia et gaudium.* In imo primus versus: Cesma 24. et 26. » junii, 1770. Duo posteriores versiculi sequentia habent: *ad significandum animum gratum Victori collegium rerum maritimarum.* Scilicet id numisma collegium hoc jussit cudi, ut grati animi sui erga Illustrissimum Comitem Alexium Gregoridem Orlow pro devicta hostica classe extaret perpetuum monumentum. Scalptoris nomen latinis literis exaratum est sub thorace Herois.

Praeter haec duo numismata mittit clementissima Augusta tibi, vir nobilissime, dono pyxidem quoque auream, aptam servando pulveri herbae nicosianae, quem mos est olfacere. Haec sunt, quae tibi ut significarem oportuit. Superst nunc, ut gratuler mihi hanc occasionem datam in

notitiam tuam perveniendi, commendandique me benevolentiae, atque amicitiae tuae, quam ut colam sancte, curae, cordique mihi erit. Vale. Petropoli anno Christi MDCCLXXII. Kalendis Februarii.

Vol. III. pag. 169.

Joannes Aloysius Saluzzius e societate Jesu de Joannis Baptistae Cancellotti in rem literariam meritis ea retulit, quae mihi gratissima acciderunt. Ne igitur rei memoriam ullo tempore abjiciant cives, epistolam damus ad Cesarem Cancellottum archidiaconum a Saluzzio scriptam. Asservatam vidimus in bibliotheca publica, eamque ad prototypi fidem expressit Joseph Ranaldius bibliothecae praefectus.

Rmo Sig. mio ossmo . : . . . . . Essendo stato eletto per iscrivere l'istoria del Concilio di Trento il P. Sforza Pallavicino et essendo io stato destinato per suo ajuto specialmente nell'indagare le notizie, e prepararci la materia; ho stimato poter havere grand'ajuto da cotesta Città di Sanseverino, come patria di mons. Vescovo di Telesio Segret. di detto concilio, attesochè non potranno non essere costì restate molte cose utili al nostro intento. Mi aveva data qualche intenzione di ajutarmi a ciò il Sig. Fulvio Servanzio, specialmente con occasione di trasferirsi quest'autunno alla patria, ma havendo bisogno di maggior celerità sono venuto in risoluzione dell'incommodare V. S.; tanto più dopo che il suo P. Gio: Batta è venuto a viver con noi quà in S. Andrea, et è stato destinato a cooperare anch'esso a questa istoria nel modo che V. S saprà da lui medesimo. – Quello adunque in che potressimo esser favoriti da V. S. sarebbe nell'informarsi se costì si trovino scritture appartenenti al concilio di Trento di d. Monsignore e di qual sorta: non ostante che Paolo V. havesse la maggior parte de' suoi scritti . . . . . . Quello che particolarmente si

desiderarebbe, sarebbero Diarii de' successi, lettere di ragguaglio scritte dal concilio a parenti o amici, registri degli atti del concilio, o simili. Di quello pervenisse a notizia di V. S. sarebbe accertato farne un poco di nota e mandarcela, perchè potessimo vedere se tra le cose che costì sono, ve ne sia qualcheduna non esistente fra la raccolta che in lungo spazio di anni ne ha fatta la felice memoria del P. Terenzio Alciati. Sarebbe molto opportuno a nostri bisogni, e desiderii il diario di Astolfo Servanzo segret. di monsig. Massarelli di cui noi abbiamo un solo frammento, cioè de' successi del 1562. . . . . Quando si trovi cosa che facci al caso, si desidera poterne cavar copia, e perciò si somministreranno tutte le spese necessarie con quella ricognizione di benefattori che sarà conveniente, oltrechè gli Emin. Spada e Chigi che promovono quest' opera, sò che non mancheranno nelle occasioni a chi haverà cooperato ad una cosa da cui speriamo debba risultare grandissimo servizio di Dio.... A V. S. fò humilma riverenza - Roma 10. Luglio 1652. - Di V. S. Revma - Umilmo servo nel Sigre - Gio: Luigi Saluzzo d. Compagnia di Gesù

Vol. III. pag. 189.

Sane mihi pergratum fuit, Josephum Raualdium in Ludovici Lazzarelli gloria augenda voluntatem suam contulisse. Is mihi codicem saeculo XV. scriptum ostendit, ex quo licuit mihi addiscere inter Lazzarelli poemata, a scriptoribus huc usque haud memorata, illud rejiciendum, cui titulus - *Prometheus* -. Auctor carmen Francisco Justinianeo veneto sacrum, dicatumque voluit.

Vol. III. pag. 205.

Uladislaus IV. Polouiae, Sveciaeque rex, et Joannes Casimirus frater Virgilium Puccitellum propter ejus plurimas, egregiasque virtutes tuendum sibi, atque ornan-

dum susceperunt. Literae, quas hic referimus, rem testantur.

Uladislaus IV.

Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Massoviae, Samogitiae, Livoniaeque, nec non Svecorum, Gotorum, Vandalorumque haereditarius Rex electus Magnus Dux Moschoviae.

Significamus praesentibus literis Nostris, quorum interest, universis et singulis, eam esse vim virtutis, ut summorum etiam Principum animos in sui cultum, et admirationem rapiat; haec enim suos alumnos per quaevis ardua, et difficillima ad verum decus, gloriamqne consequendam stimulo quodam incitat, conspicuosque in aperta dignitatis, et honoris sede collocat. Manifeste in nobili Virgilio Puccitello Italo cernimus, qui cum in literariis palestris, liberalibus artibus, et disciplinis teneram excoluisset aetatem, externas deinde regiones peragrasset, et demum in regnum hoc veniens, cum in aula nostra in expediendis, et tractandis negotiis nostris aliquot annis fidem, industriam, et ingenium ita approbasset, ut dignus semper nostro favore videretur, quem in numerum Segretariorum nostrorum reciperemus, quod quidem facimus, ac ipsum in numerum Segretariorum nostrorum recipimus, et cooptamus, omnibus immunitatibus, libertatibus, et praerogativis, quibus caeteri Segretarii nostri de more gaudent, et fruuntur, dotamus, et insignimus praesentibus literis Nostris, quod ad notitiam omnium, et singulorum, quorum interest, deducendum mandamus, ut praedictum nobilem Virgilium Puccitellum pro uno, et legitimo Segretario nostro habeant, et cognoscant, eique de loco, immunitatibus, et praerogativis caeteris Segretariis nostris de more, et consuetudine serventium provideant, providerique ab aliis curent pro

gratia nostra: in cujus rei fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri jussimus.

Datum Lublini die III. mensis novembris anno Domini 1636 Regnorum Nostrorum Poloniae II., Sveciae vero III. ann. Uladislaus Rex. Loco-✝-Sigilli.

Uladislaus IV. Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Moscoviae, Samogitiae, Livoniae, Smolensciae, Czernichov. Severiaeque, nec non Svecorum, Gothor, Vandalorumq. hrius Rex.

Significamus praesentibus lris nris quorum interest, universis et singulis. Meruit singularis virtus, et eximia fides, ac constantissimi obsequii assiduitas, indefessusq. erga nos studium Venlis Virgilii Puccitelli Segretarii nostri, ut eum imposterum ampliori favore nro regio complectamur, et majoribus praemiis fortunas ipsius augeamus. Quare ad excitandam, confirmandamq. ejusdem erga nos promptitudinem, et industriam, ei annuam pensionem trecentorum ducatorum, numeri et monetae neapolitanae, dan., et conferen. esse duximus, prout prntibus damus, et conferimus, quod ad notitiam omnium quorum interest, praesertim vero moderni internuncii Nri, et pro tempore existen. deducen, volumus, ut supradicto vñli Virgilio Puccitelli supra specificatam summam, et omnino procuret, ne fructu liberalitatis nrae fraudetur, aut in eo aliquod detrimentum patiatur. Pro gratia Nra. In quorum finem pñtes manu nra subscras sigillo nostro communiri jussimus. Dat. Varsov. die XXVI. mens. decemb. anno Dñi M.DC.XXXV. Regnorum nostrorum Poloniae III. Sveciae vero IV. anno. Ulandislaus Rex.

Uladislao IV. per la grazia di Dio Re di Polonia, Svecia ec.

Nostri amorevoli affezionati. È privilegio della virtù il testimonio della grazia de' Principi, onde è, che quello, che se

ne rende degno, merita in conformità la stima degli altri. Il Puccitelli Segretario nostro però, in cui viene da Noi riconosciuta, a ragione godendola, richiediamo le àmorevolezze vostre nel passaggio, che al presente se ne fà costà per privati bisogni, che riguardavano la sua salute, da' quali ispeditosi, dovrà tornarsene a questo nostro servizio, ad accoglierlo con allegro animo, che da Noi sarà inteso volentieri. Concorrendo però a questo le vostre amorevolezze sarete certe di farci cosa grata, e che ci lascerete in disposizione di dimostrarvelo cogli effetti del nostro favore, dove ci saranno presentate le occasioni, e Dio vi contenti. Varsavia 6. Agosto 1638. Uladislaus Rex

Al Magistrato di Sanseverino

Al rev. Virgilio Puccitelli segrio nro. Napoli:

Uladislao quarto per grazia di Dio Rè di Polonia, e Svezia ec. Rev. Nro. Aggiunta alle vre lettere, che coll'ordinario di questa settimana sono quì comparse, habbiamo ricevuta l'opera di Armida da voi inviataci, dal che siccome restiamo tuttavia più persuasi della vra solita diligenza in cose che riguardano la Nra sodisfazione, così al presente ve ne facciamo particolar espressione, e vi accertiamo della gra Nra . . . . . Di quel tanto che havete operato con cotesto Vice Rè vi diamo lode restando sodisfatti della rimessa . . . . . per servizio di S. A. in Genova . . . . . Le vre fatiche che in servitio di S. A. havete fatte sono state gradite da Noi ancorchè per gli accidenti occorsi riuscite infruttuose, conoscendo che per voi non è restata intentata l'opera, vi accertiamo però della sodisfazione da Noi havutane, e Dio vi contenti.

Scemina li 15. maggio 1639. Uladislaus Rex.

Al mto ill. sig. Virgilio Puccitelli sec. di S. M. Ser. Varsavia.

Molto ill. sig. Credevo giunto in Vienna di ricevere, lettere et avvisi da V.S., secondo il nostro appuntamento costà di corrispondenza, ma non ho veduto ne l'uno, ne l'altro ..... Ricordi ogni ordinario a S. M. che mi scriva, e se per la molta fatica non potesse di suo pugno, mi saranno anco care quelle scritte per mano di V. S., alla quale di cuore mi raccomando. Al piacere di V. S.

Vienna li 21. febraro 1636. Il Princ. Gio: Casimiro

All' ill. sig. D. Virgilio Puccitelli segret. della M. Ser. di Polonia, e Svetia. Vilna.

Ill. sig. Dissi a D. Andrea avanti che partisse da Vilna, che io volevo che lui succedesse prima d'ogni altro alla vacanza del primo canonicato et cappellania vacante nella Chiesa di Bari spettante al jus del Rè mio fratello, conforme si era compiaciuto di gratificarmi. Hor dunque reitero anco a lei con questa mia l'istesso ch'io dissi a D. Andrea, desiderando, che facci subito scrivere la lettera da S. M. all' Internuntio di Napoli per quest' effetto, assicurandola che mi farà piacere, e con tal fine me le raccomando. Al piacer suo.

Varsavia il dì 8. luglio 1636. Il Princ. Gio: Casimiro.

All' Ill. Sig. Virgilio Puccitelli sec. di S. M. Ser. di Polonia, e Sv. Varsavia.

Ill. sig. Se V. S. non haverà più che ordinario affare per S. M., desidero si trasferisca subito da me, perchè ho bisogno di qualche cosa da Lei. Se il Constanzo Scultore è costà lo faccia venire anch'egli, et in absenza sua facci venire il Matthero Castelli, d'uno de quali mi voglio servire per alcune cose che ho in pensiero di fare; e senza più a V. S. mi raccomando. Al piacer suo.

Niepor. li 10. maggio 1637. Il Princ. Gio: Casimiro.

Al mto ill. et mto rev. sig. il sig. Virgilio Puccitelli sec. di S. M. S. Varsavia.

Molto ill. et mto rev. sig. Veramente restai maravigliato, quando con la passata di V. S. intesi il predicamento, nel quale era il Sig. Subiesckij per il Vicecancellerato, ma non potetti però mai credere che havesse a cadere in mano sua. Mi sono rallegrato molto, che sia caduto in persona del Sig. Duca Osolinsikij, con il quale potrà V. S. passar termini di congratulatione seco per mia parte; e mentre la ringrazio dell' altre nuove che mi dà, caramente me le raccomando. Al piacere di V. S.

Milano li 18. aprile 1638. Il Princ. Gio: Casimiro

All' ill. sig. il sig. Conte d' Ognata Vicere per S. Mtà Catt. in Napoli.

Illmo sig. Fra le cose che maggiormente resero sollecito il desiderio della Maestà del Rè nro cariss. fratello, che gode il Cielo, nell' ultimo della sua vita, molto premente fù quella, che ciascuno, che restasse in legitimo credito di qualche havere da essa, ne ricevesse la dovuta, e conveniente sodisfazione. A tale effetto stabilì essa alcune somme, e fra queste quella dei crediti decorsi di coteste rendite ad essa spettanti sino al giorno, che terminò la sua vita. Sopra le quali essendosi trovato un'assegnamento fatto al segretario Virgilio Puccitelli in una partita di due mila e seicento settantasette di cotesti correnti ducati; e per un' altro di due mila tallari imperiali da ricevere per una sola volta, desiderando che ne venga sodisfatto per il lungo e fedel servitio che gli ha prestato, portiamo l' istanza a V. S. Illma perchè voglia ordinare, che ciò sia eseguito.

Varsavia 19. decembre 1648. Gio: Casimiro

Vol. III. pag. 209.

Egregiae praeclaraeque virtutes, optimarumque artium studia, quibus excelluit Astolphus Servantius, monent, ut, quae gloriam ejus ornare atque augere possunt, ea libenter complectar. Literas itaque hic proferam, quas anno 1837. die 22. maii ad Severinum Servantium Collium comitem dedit Stephanus Renaldius vir doctissimus.

Revmo sig. conte. Alla tardanza in rincontrar la sua ultima serva di compenso il foglio, che unisco a questa mia, riguardante la famiglia di lei. Esso mi fu dato, saran trent'anni, dal sig. can. Battaglini custode della vaticana, familiare dell' Emo Zelada, della cui biblioteca fece un indice ragionato, e nella quale era il codice in proposito; il quale ora si trova in Toledo con gli altri libri e codici del detto Emo, il quale nella persuasiva che l'invasione dei francesi facesse altrettanto all' Italia quanto quella dei longobardi, donò la sua supellettile de' libri non scarsa, nè comune al sig. card. Lorenzana. . . . . .

N. 479. N. 480. Cod. cart. in VIII. del sec. XVI.

Giornale del Concilio di Trento composto da Astolfo Servanzi di Sanseverino.

Sommamente pregevole è il giornale quì riferito sì per i lumi, che somministra alla storia di quel Concilio, come per essere manoscritto originale. Si valse di esso il Pallavicino nella sua storia, e nel libro XV. cap. XIII. ne fa... particolar menzione...... Partito (il Servanzi) dal Concilio fu richiesto per Segretario da monsig. Cocchi arcivescovo di Corfù, ma avendo ritardato di portarsi in Roma, trovò, che quel prelato si era di altro soggetto provveduto. Andò allora in Napoli segretario del sig. Giulio Cesare de Capua principe di Conca. Nacque in lui in tal tempo la vocazione allo stato religioso osservante di s. Francesco, e chiese per-

ciò licenza al padrone. Non eseguì per altro il suo proposito, e ritornato a Roma, venne di bel nuovo richiesto a segretario dall' arcivescovo di Corfù, con il quale andò a Venezia, ove stette due anni avendo ottenuto un cannonicato di Corfù di duecento scudi annui. Ma non potendo più resistere alla inspirazione di vestir l' abito religioso, prese congedo dal suo padrone, e con la licenza del genitore recatosi a Cingoli prese l' abito il dì 25. marzo dell' anno 1567. Potrebbe nascere qualche dubbiezza, se il codice nostro sia originale, osservando essere similissimo a quello, che il Pallavicino ebbe dal principe Borghesi. Una lettera originale però dello stesso Servanzi, con la quale, essendo già religioso e che ora è stata posta al principio del manoscritto, mandò in dono a suo fratello Bastiano il suo originale, toglie ogni difficoltà. Essa è del carattere medesimo del manoscritto, ed è in data delli 3. Febraro 1577. Comincia - Quando io era nel mondo, et cortigiano, et quando andai al Concilio di Trento, scrissi per mio esercitio un libro di tutte cose accadute in quello, quale ho sempre tenuto presso di me ec. - Dunque l' esemplare, che presso il principe Borghesi conservavasi, dovette essere una copia. Il nostro poi ritrovato fra i libri della famiglia Servanzi di Sanseverino, dal sig Gaspare Servanzi con lettera delli 29. Gennaro 1779. fu donato all' odierno Emo possessore.

Hic animadvertendum putamus, Concilii Tridentini acta diurna ab Angelo Massarellio episcopo Thelesino exarata apud Emum Zelada pariter extitisse.

Coetera documenta dabimus in opere quamprimum edendo, cui titulus - *Codice diplomatico della diocesi settempedana* -.

FINIS

OFFICINATORES OPUS LIBRARIUM ABSOLVERUNT KAL. DECEMBRIS

AN M. DCCC. XXXVIII.

HIC CORRIGIMUS QUAE EISDEM INVITIS EXCIDERE.

Vol. I. pag. VII. *versu* 12. *in praefatione legito* tribus. *p.* 3. *v.* 22. *l.* 944. *p.* 87. *v.* 16. *l.* Rinaldius. *p.* 97. *v.* 16. *l.* 1393. - *p.* 196. *v.* 15. *l.* P. Macedo.

Vol. II. p. 80. *v.* 25. *l.* anni dñi M. CC. XVIII. mense - martii. inditione VI ⁝ inpio qui - dem jacente. sine impatore ⁝ - dño honorio. pp suo tpr. - donn' taraboct' ppositus. - scis savini. constitutus. - de castro. sci severini h' - opus fecit fieri peracu. - a tpr. donni rainaldi filiu - bonicomitis. abas rabone - cofirmavit. magist alb. - cus muravit et coposuit

In antiqua aede sacra s. Savini apud Trejenses. *p.* 188. *v.* 2. *l.* XIII. *p.* 228. *v.* 1. *l.* III. nonas Augusti *p.* 245. *v.* 4. *l.* Vidoni Ubaldo I. *p.* 261. *inter versus* X. *et* XI. addito - OPERA . ET . AERE . VIRITIM. COLLATO - *p.* 271. *v.* 23. *l.*

BARTOLOMEUS TARDOLUS JURIS UTRIUSQ. DOCTOR

PRIORE FRE. † A. D. MCCCC. LXXIII. LAURETO ARIM.

In epistylio januae templi maximi augustiniani. *p.* 283. *v.* 9. *l.* v. Joannes. *p.* 326. *v.* 22. *l.* tabulas.

Vol. III. p. 68. *v.* 5. *l.* adhaeret. *p.* 87. *v.* 6. *l.* spechi *p.* 89. *v.* 11. *l.* inscriptiones.

Aliis in locis sunt et alia quaedam: sed tamen ejusmodi, quae nullam in legendo moram afferant.

IMPRIMATUR

Fr. JOANNES MATTAEUCCI Ord. Praed.
S. Th. Mag. et Vic. S. Officii.
Maceratae die 14. *Junii* 1838.

IMPRIMATUR

STEPHANUS Can. GAMBINIUS Pro-Vic. Gen.
Maceratae die 17. *Iunii* 1838.